ANTONI ROSATI

IC. PISTORIENSIS

DE SEPVLCRIS

ET

SEPVLCRORVM JVRIBVS

LIBER SINGVLARIS

AD LAVRENTIVM GINORIVM

SENATOREM ET MARCHIONEM AMPLISSIMVM

PISTORI A. D. MDCCLXI.

EXCVDEBAT ATTHO BRACALIVS

PVBLICI TYPOGRAPHVS

PRAESIDIBVS ANNVENTIBVS

GENIO. CLEMENTISSIMO

LAVRENTI. GINORI

PATRICI FLORENTINI

SENATORIS. ET. MARCHIONIS. AMPLISSIMI

INTEGRITATE. FIDE. PIETATE. PRVDENTIA

CETERISQVE. OMNIBVS. VIRTVTIBVS

CLARISSIMI

BONARVM. ARTIVM. FAVTORIS

POLITIORIS. LITERATVRAE. CVLTORVM

PATRONI. BENEFICENTISSIMI

ANTONIVS. ROSATIVS

DEVOTVS. NOMINI. EJVS

LIBELLVM

DE. SEPVLCRIS. ET. SEPVLCRORVM. JVRIBVS

VENERABVNDVS

OFFERT. DICAT. DEDICAT

INLVSTRISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO

LAVRENTIO GINORIO

PATRICIO FLORENTINO

SENATORI, ET MARCHIONI AMPLISSIMO

&c. &c.

ANTONIVS ROSATIVS

DEDICO, CONSECROQVE.

BEne, ac sapienter, Inlustrissime, & Clarissime Vir, apud Veteres florentissimae, & potentissimae Terrarum Dominae, ac Reginae Romanae Reipublicae Milites in more positum erat, ut, inscio Imperatore, licet se op-

opportuna offerret Occasio, in certamen descendere minime auderent, neque ullis uterentur armis, nisi quibus Ducis nomen esset insculptum. Quod sane, meâ sententiâ apud eosdem in consuetudinem venerat, ut ipsius potius auspiciis, quam auctoritate suâ de Summâ rerum agere viderentur, ejusque memoriâ, ac nomine saepe saepius excitati alacriores, fortioresque ad praelium inflammarentur. Laudabilem hunc Militum Romanorum morem imitatus, rudem hunc, & indisertum de SEPVLCRIS, & SEPVLCRORVM IVRIBVS *libellum editurus, adeoque in Censorum agmina, publicumque veluti certamen expositurus, idipsum summâ Nominis tui auctoritate decorare, operae pretium me facturum esse sum arbitratus. Ad quem enim potius confugere poteram Vir Clarissime, quam ad Te, quem ut optimi Genitoris tui, Majorumque tuorum decora, atque avitam tui generis claritatem silentio praeteream,*

Nam

Nam Genus, & Proavos, & quae non fecimus ipsi
Vix ea nostra putas,

propter humanitatem tuam, & praeclara cetera, quibus exornaris, Virtutum omnium decora, quae Monumentum Tibi exegerunt perennius Ære

Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non Imber edax, non Aquilo impotens,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

amplissimum Libello meo decus & praesidium maxime allaturum esse conspicio. Excipe igitur pro eâ, quâ praestas, humanitate, Vir amplissime, hanc ingenuam Observantiae in Te meae significationem, quam amplitudini tuae devotus offero, consecroque. Vale.

Dabam Pistorii Kal. Jul. A. R. S. 1761.

DE SEPVLCRIS
ET
SEPVLCRORVM JVRIBVS
LIBER SINGVLARIS

PROEMIVM

Quam explicaturi sumus Sepulcrorum materiem, eam utilissimam esse, atque inter ceteras, Jurisprudentiae partes non infimum obtinere locum, Nemo ignorare poterit, nisi qui rerum omnium fere sit rudis. Quamvis enim Sepulcra flocci faciant non pauci, quum Mortis mentionem habeant, & minime necessaria esse arbitrentur; Non idcirco fas est ea negligere : Nam

 ni-

nihil ad rerum omnium temperantiam aeque prodest, quam frequens cogitatio brevioris aevi, & hujus incerti, cujus extremus dies, quem Vulgus fugit, & reformidat, sapienti Natalis est aeternae Vitae, quae ab immortali Deo Viris bonis donata, nova praedicatur. Sepulcrorum ope rei antiquariae scientia addiscitur, quae jure, ac merito primarium verae literaturae praesidium à prudentibus omnibus reputatur, hoc praesertim saeculo vere aureo, ac beatissimo, in quo, uti de priscis bene auspicatis temporibus Satyricus testatum reliquit, *vigent bonae artes, summumque certamen inter homines est, ne quid profuturum saeculis diu lateat*. Clarissimorum insuper hominum Virtus inter emortuos illorum Cineres reviviscit, famaeque aeternitas conservatur. In iis etiam quamplurima summorum

rum

rum Pontificum Decreta versantur; Ideoque, quum Juris Canonici partem complectantur, nullus in eo Jure perite versatus esse potest, nisi prius ipsorum scientiam consequatur. Variarum praeterea Gentium, ac praecipue Romani Imperii Historia iis continetur, sine cujus cognitione, veluti in caecâ nocte absque lumine errantes laberentur illi, qui Jurisconsultorum Leges intelligere optarent, & Principum Constitutiones interpretari. Atque ea potissimum est caussa, cur inter sepulcrales Cupressus tot Ingeniorum Aquilae pervolitarint, & in Tumulorum Oris, ut Minutolii verbis utar, tot Cycni affabris quibusdam modulis tristes Naenias cecinerint.

CAP. I.

SEPULTURAE ORIGO, HUJUS MORIS INTRODUCENDI CAUSSA, GENTES, QUAE SEPULTURA SUNT USAE, ET PERSONAE, QUIBUS EA SIT DENEGANDA, EXPLICANTUR.

MOrtuorum igitur Corporum humatio, ut rem à capite repetamus, à Jure Gentium, quod apud omnes Gentes, quae ratione suâ recte utuntur, vim suam obtinet, initia auspicatur. Hujus introducendi moris, ut corpora humo tegerentur, caussa, aliis alia videtur. Demortuorum Corpora humo tegebant alii, quia fabulosis Poëtarum figmentis, insepultos à navigando, ac transeundo Inferni amne prohiberi putabant, quia scilicet (1) Trans-

(1) Virg. Aeneid. lib. VI. vers. 327. & seq.

Nec Ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quā sedibus ossa quierunt

Ex Giganteâ feritate mandendi homines occasionem datam, referente Hugone Grotio (1), Moschion tradidit. Quidam, ut e medio Viventium hominum Cadavera visu, & odore foeda amoverentur, hunc morem adinventum esse arbitrantur; Et ideo humationem non Defunctorum caussâ, sed Vivorum gratiâ Annaeus Seneca voluit. Humationis caussam à Corporis praecellentiâ depromtam, & hanc ceteris esse simpliciorem laudatus Grotius (2) statuit; Indignum siquidem Ei videtur, si Corpore hominis, qui ceteris Animantibus praestat, alia Animantia pascerentur. Verum, si accuratius res perpenda-

(1) De Jure Bell, & Pacis lib. 2. cap. 19. §. 2. num. 1. (2) loc. cit. num. 4.

datur, ipsammet humanae Naturae conditionem in primis caussam esse videbimus, ut mortuorum corpora humo tegerentur: Ipsa homines admonuit, ut exanime Corpus Terrae, unde ortum traxerat, redderent, ut ita locatum, & situm quasi operimento Matris obduceretur, quod & DEVS quoque Adamo edixit, & Graeci, Latinique passim agnoscunt. Christiani vero, à quibus hoc institutum perpetuo usu fuit receptum, Defunctorum corpora honeste Terrâ recondunt, & praesertim in spem futurae Resurrectionis (1), & quod ea Christi membra (2) fuisse, Templa, & Habitacula (3) Spiritus Sancti, salutaria Organa, per quae piorum Ani-

(1) S. Augustin. de Curâ pro Mort. gerend. cap. 18.
(2) S. Paullus in Epist. ad Ephes. vers. 30.
(3) Idem in Epist. 1. ad Corinth. 10. III. 16. & VI. 19.

Animae in hac Vitâ bonum operatae fuerunt, in Theologorum Scholis docemur. Et haec penes Eos fuit praecipua ratio, cur tanti Sepulturam fecissent, ut ejus caussâ, Grotio teste (1), sicut ad Pauperes alendos, aut ad Captivos redimendos Vasa Ecclesiae etiam initiata conflari, aut vendi licite existimaverint.

Sane, quum hoc sepeliendi Cadavera officium, & Homini, & Naturae Humanae praestari dicatur, unde *publicam* hanc humanitatem Seneca (2), & Quintilianus (3) dixerunt; Hominem se exuisse, & Naturae Humanae dedecus fecisse barbarae illae Gentes merito dicuntur, quae Cadaverum curam negligere consueverunt. Ita Arabes, quos in-

(1) loc. cit. §. 3. num. 3.
(2) de Beneficiis lib. 5. cap. 10.
(3) Declam. 6.

inter Idumaei, mortua Corpora, Strabone teste (1), non pluris quam stercus putabant, unde apud eos Reges quoque (2) in sterquiliniis defodiebantur; Ita Persae Cadavera extra Vrbis Moenia elata, in Campo, ut pabula essent Feris, & Volucribus deponebant; Ita Hircani, Bactrii mortuos Homines (3) Canibus Domi ad hoc nutritis dilaniandos obiiciebant. Ita Suractenses Indiae Populi, ut Salmon (4) tradit, nostris etiam temporibus vastissimam, ac rotundam habent planitiem, in quâ inhumata Cadavera relinquunt. Laestrigones quoque humanâ Carne victitasse Plinius (5), & Gellius (6) tra-

(1) lib. 15. (2) Bellor. de Oper. Antiq. praestant. lib. 1. cap. 1.
(3) Quensted. de Sepult Vet. cap. 2.
(4) tom. 4. (5) lib. 7. cap. 1. (6) lib. 15. cap. 23.

tradunt, quamvis hodie Viri docti, ac solertes, & emunctae naris Critici ambiguam habeant, veram hujusmodi humanissimae Gentis existentiam.

Ceterum à Gentibus illis, quae efferis omnino, & incultis moribus non sunt, hanc in sepeliendis Cadaveribus humanitatem non Pacis tantum, at Belli etiam tempore cultam fuisse & Veteribus maxime commendatam, Historici memoriae prodiderunt. Atque hic nimis longus essem, si exempla in medium vellem afferre. Omitto igitur Niciam Atheniensium Ducem, qui, ut duos tantum peremptos Milites Tumuli honore afficeret, omnem, si Plutarcho (1) credimus, subsistere Exercitum jussit. Missos etiam facio Athenienses (2), qui decem Imperatores suos à pulcherrimâ Victo-

(1) in Vita ejus (2) Valer. Maxim. lib. 9. cap. 8.

ctoriâ venientes, quia Militum corpora, saevitiâ Maris interpellante, Sepulturae mandare non potuerant, capitali judicio exceptos, patriis Legibus ita jubentibus, necarunt. Et ceteros omnes, qui diversis aetatibus Belli tempore mortuorum Sepulturam curarunt, silentio praetereo. Sed nonne hanc mortuos sepeliendi humanitatem erga Inimicos quoque, & Hostes saepius, atque iterum exhibitam fuisse exempla fatentur? Vlissem testem appello, qui Ajacem inimicum suum maximâ humanitate Tumulo mandavit. Testes Athenienses, qui Medos (1) Sepulturae honore olim affecerunt. Testem Hannibalem, Hannibalem, inquam, illum, qui quamvis Sacramento ánte Aras praestito, se Romanorum semper infensi-

si-

(1) Ex Pausan. refert Petrus Faber lib. 3. semestr. cap. 13.

fissimum futurum Hostem (1) declarasset , tamen & Marcelli , & Caii Flaminii , & Tiberii Gracchi , aliorumque Ducum Romanorum necata corpora ad funerandum quaesivisse a Livio (2) accepimus . Testes demum appello Romanorum quamplurimos , qui religiosâ hac pietate fuerunt insignes ; Quid enim aliud declarat humanitas illa , quam in Hannonem praeclarissimum Carthaginiensium Ducem L. Cornelius (3) exercuit ? Idem Officium Gn. Pompejus praestitit Mitridati , idem demum , ut innumera exempla praeteream , in Archelai corpore effecit Antonius , ut testis est in ejus vitâ Plutarchus .

Verum quamvis haec mortuos humandi officia ab omnibus , aut fal-

(1) Corn. nep. in ejus vit.
(2) Decad. 3 lib. 2 .
(3) Valer. maxim. lib. 5. cap. 1.

saltem à moratioribus Gentibus sarta tecta semper sint habita, & nemini denegata; Nonnullos tamen sceleſtiſſimos Viros Sepulturae honore fuiſſe privatos accepimus. Et revera Proditionis convicti, & sacrilegi apud Graecos (1) communi ſanctione Sepulturâ prohibebantur: Et apud Aegyptios Avibus, & Canibus lanianda reſte ſuſpenſorum Corpora dabantur; Debitorum vero Cadavera apud eoſdem pignorabantur (2) Creditoribus, & ab Eis donec aes alienum Heredes integre ſolverent, inſepulta detinebantur. Quid de Vrbe Româ dicam? Haec ab ipſiſmet ſuis incunabulis illos relinqui inhumatos voluit, qui ſibi ipſis ferro, aut laqueo Mortem (*a*) in-

(a) *Hujus poenae Origo a Tarquinio Priſco* [3] *fuit inventa*

(1) Diodor. ſiculus lib. 16. Bibl. cap. 6.

(2) Quenſted. de Sepult. Vet. cap. 3.

(3) Minutol. de Sepult. ſect. 1.

intulerant, quam legem latius patentem, sequentibus deinde temporibus, adhibito modo Romani (1) coërcere voluerunt, atque eos solum, qui alicujus facinoris sibi conscii e medio se sustulerant, inhumatos reliquerunt; Illos vero, quibus justa caussa accersitae Mortis fuisse ipsis videbatur, ut Catoni Vticensi Viro suâ tempestate maximo, aliisque contigit, honeste obiisse existimarunt, & Sepulturâ affecerunt, quod e Stoicorum scholis initium habuit; Hi enim Philosophi, si quis ita morbo afflictaretur, ut Vitam sibi aerumnosam putaret, vel aliquod Vitae taedium haberet, posse, immo debere Mortem sibi conscîscere (2) existimabant, eamque fuisse Zeno-

nis

(1) Kirchmann. in Append. ad lib. de Fun. Rom. cap. 9. (2) Epict. lib. 1. Arrian. cap. 24. Senec. Epist. 98.

nis sententiam Diogenes Laertius (1) tradidit, ipsumque Zenonem sibi manus intulisse refert (2) Lactantius, idque Proculeiani, teste Neratio (3) ex eorum scholâ prodito, admiserunt, atque Hadrianus, & Antoninus Pius Rescriptis (4) confirmarunt, eademque cum Stoicis Dogmata Caei, Thebani, Circumcelliones, aliaeque Gentes habuerunt. Verum in contrariam sententiam prudentiores Philosophi abierunt, ideoque in scipionis Somnio ajebat Cicero, *nisi Deus is, cujus hoc Templum est, omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, in Coelum aditus tibi patere non potest*. Praeterea Romanis Legibus, & Hostes Pa-

(1) In Zenone
(2) Lib. 3. de Falsâ sapientiâ cap. 18.
(3) in L. liberorum 11. §. 3. ff. de his qui not. Infam.
(4) L. 3. §. 4. & 5. ff. de Bon. Eor. L. 6. §. 7. ff. de Injust. rupt. &c.

Patriae, à quâ poenâ nec ipsi Imperatores immunes fuere, sicut ex Heliogabali in Cloacam (*a*) projecti, ut Lampridius, & ex Commodi, & Maximini Unco tractorum, ut Capitolinus, infelicissimis eventibus liquere potest, & suspendiosi, qui & Cruciarii (*b*) vocabantur, & Parricidae insepulti (*c*) projiciebantur. Eandem poenae acerbita-

(a) *Facinorosi apud Romanos non in exquilias quidem semper aut Cloacas, sed etiam in Gemonias Unco pertracti praecipites dari solebant, cujus rei Ministri* Hamotraones (1) *appellabantur*.

(b) *Hoc supplicii genus sustulit Constantinus, teste Sexto Aurelio Victore in ejus Vitâ. Crucis loco deinde fuit furca, non vetus quidem illa, sed nova, quam & patibulum dicimus*.

(c) *Punitorum tamen corpora petentibus ad sepulturam facile a Magistratibus praesertim aequioribus* (2) *concedebantur*.

(1) Meurs. de Funer. cap. 42.
(2) L. 1. ff. de Cadaver. Punit.

bitatem Romanus Senatus in Milites aliquando pro militari disciplinâ conscripsit; Nam quum Milites qui Rhegium injusto Bello occupaverant securi percuti jussisset, eorum Corpora Sepulturae mandari, mortemque lugeri prohibuit. Nec silentio involvam Hebraeos, apud quos ipsi solum, qui Mortem sibi consciverant sepulturâ prohibebantur, *nec id mirum*, ut Grotius (1) ait, *quum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui Mortem pro supplicio non habent*. Quod si divinus agnosceretur impulsus, qui vitam repeteret propriâ manu absumendam, caussa haec etiam praesumpta ab Hebraeis, Samsonis, aliorumque exempla referentibus excipiebatur. At Christiani, nisi, qui ob exemplum (*a*) publicum in

(a) *Namque omnis poena non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.*

(1) loc. cit. §. 5. num. 1.

[1] in patibulis appenduntur, aut rogo concremantur, omnes, vel honeſtâ [a], ſive Eccleſiaſticâ, vel ignominioſâ Sepulturâ afficiuntur; hanc vero Jus Canonicum Haereticis, atque iis, qui ipſis in crimine Haereſis favorem (2) praebent, Idolatris (3), Judaeis, Foenerariis manifeſtis (4), Infantibus non baptizatis, Concubinariis publicis, Sacramenti Paſchalis Contentoribus, (5) Mortem ſibi ex deſperatione,

B vel

(a) *Sepultura honeſta eſt, cui Ceremoniae, atque ritus certi pro cujuſque Gentis, & loci conſuetudine adhibentur; Sepultura vero ignominioſa eſt, quae abſque Ceremoniis, atque receptis ritibus (6) fieri debet.*

(1) Cap. Parocho 14. de Sepult.

(2) Cap. ſane profertur 24. quaeſt. 2. cap. 2. de Haeret. in ſexto.

(3) Cap. Eccleſiam, & cap. ſeq. de Conſecrat. diſt. 12. (4) Clement 1. de Vſur.

(5) Fleury Inſtit. Juris Eccl. Part. 2. cap. 9. de Sepult. §. 6 (6) Vitrar. in Grot. lib. 2. cap. 19. §. 2.

vel (1) iracundiâ conſciſcentibus infligit; Quod ſi ſe ex fatuitate, inſaniâ, vi morbi, aut furoris occiderint, tunc honeſtâ ſunt Sepulturâ afficiendi; Idque multo magis eſt de iis dicendum, qui ne Religionem Catholicam ejurarent, ex divinâ Inſpiratione Mortem ſibi intulerunt, & de Virginibus, quae ne pudicitiam amitterent, ſe potius occidere (2) voluerunt. Honeſtâ etiam Sepulturâ arceantur ii, qui per Excommunicationem ab unitate Catholicâ ſunt ſeparati; Quibus enim non communicamus Vivis, nec Defunctis debemus (3) communicare; Quod ſi ante Mortem poenitentiae ſigna dederint, poſt Mortem quoque abſolvuntur, & Eccleſiaſticae Sepulturae man-

(1) Cap. quibus 13. de Sepult.
(2) S. Ambroſius de Virginibus lib. 3. cap. 2.
(3) Cap. 1. cauſſ. 24. quaeſt. 2. & cap. ſacris 12. de Sepult.

(1) mandantur. Hoc insuper beneficio caruisse in Duello peremptos, etiam private sine Patrinis, & sociis cum ordinario tamen Vitae periculo ex certo tempore, & loco convento, non ad defensam, atque in iracundiae calore, sed ad offensam, & cum deliberatione instituto, vel acceptato Concilium Tridentinum (2) sancivit. In notorio quoque peccato Mortali decedentes, veluti in ipso Furti, vel Adulterii crimine interempti Sepulturâ honestâ privantur. In Galliis vero hodie mos est, ut Histriones, ceterique Scenici Actores, si dum ejusmodi artem exer-

 cent

(1) Cap. a nobis 28. de sent. excom. & cap. is cui 20. eod. Tit. in sexto.

(2) Sess. 25. cap. 19. de reformat. vide Bull. Gregor. XII. incip. ad tollend. & Bull. Clement. VIII. incip. illius vices, & Engel. sub. Decretal. lib. 3. tit. 28. num. 21.

cent, diem suum obeant, honestâ Sepulturâ non tumulentur, ut doctissimus Volterius ostendit, qui scenicae, venustaeque Mulieris, dum artem exercebat Vitâ functae, adeoque optimâ patriâ Lege ignominiosae Sepulturae affectae dulci carmine conquestus est infelicitatem. Neque heic obiiciatur, nihil obesse animabus, quod corpora Exequiarum honore careant, sive insepulta jaceant, sive Belluarum dentibus dilanientur, nec Fidelibus, sancto Augustino teste (1), negatâ eorum corporibus Sepulturâ, aliquid nocere; *Nam*, ut Quenstedius ait (2), *uti Sepultura honesta in primis beneficii, praemii, ac honoris, ita contra denegata ejusdem ignominiae, & poenae loco semper est habita, eosque miseros judicarunt plerique, & infelices, quorum*

(1) De Cur. pro Mort. suscip. cap. 2.
(2) De Sepult. Veter. cap. 4.

rum Cadavera insepulta jacerent, quibusque hic supremus humanae conditionis honos deesset. Et revera Vespasianus tum Praetor, poenae Conjuratorum Caligulae addendum censuit, ut insepulti (1) abiicerentur; Et damnatos ob Sejanum, insepultos (*a*) omnes Tiberius jussit in Tyberim trahi, diemque Necis Sejani à Pontificibus festum (2) celebrari. Facessat igitur Theodorus ille Philosophus, cui Crucem, quum minitaretur Lysimachus, nihil interesse respondit, humi ne, an sublime (3) putresceret, & Caninus Diogenes, qui proiici se inhumatum jubebat, & Cani-

(a) *Insepulti non solum dicuntur ii, quorum corpora exquilinis alitibus exponuntur &c. sed qui etiam defossi sunt sine glebae, vel Terrae injectione; horum enim insepulta sepultura à Cicerone (4) vocatur*

(1) Sueton. in Vesp. cap. 2. (2) Dio lib. 58. (3) Cicer. 1. Tuscul. (4) Philipp. 1.

bus ipſis dilacerandum; Imprudentiae enim illius hoc eſt tribuendum, quae ementito Virtutis nomine , magna plerumque in Stoicis notatur, qui à feris Volucribus diſtrahi, & ſepulcro tegi idem eſſe effutiebant; Ex communi ſiquidem ſepulcrorum honore prudentiores Philoſophi argumenta petierunt, ut ſenſum aliquem in Morte probarent, nec e Vitâ egreſſum ſic deleri hominem, ut funditus interiret

CAP. II.

VETERUM SEPULCRORUM LOCUS EXPENDITUR.

SEd age jam ipſa met ſepulcra (*a*) inſpiciamus, & primo ipſorum

---

(a) *Sepulcrum differt à ſepulturâ; Nam ſepulcrum eſt locus ille , ubi Corpus, (1) Oſſave hominis condita ſunt; Sepultura vero proprie eſt actus ille (2) Sepelien-*

(1) L. 2. §. 2. ff. de relig.

(2) Cicer. 1. Tuſcul., l. quum in diverſis ff. de relig.

rum locum ad examen revocantes, ubi apud Romanos fuerint videamus, Primis Vrbis temporibus intra ne, an extra Romam corpora tumularentur duo Magni Nominis Viri, Servius nempe antiquus Grammaticus, Virgiliique doctissimus scholiastes, & Kirchmannus, qui de Sepulcrali re optime quidem meritus est, indiversas sententias abiere, quarum utraque clarissimos habuit sectatores. Putat servius (1) *moris fuisse apud Majores, ut qui mortuus esset, domum suam deferretur, & in illâ sepeliretur:* Et alibi (2). *Omnes Homines in*

di; Nonnunquam tamen Sepultura pro ipso sepulcro accipitur, ut in toto illo Titulo de Sepulturis *in Decretalibus. Sepulcrum vero variis appellationibus prisca revolventi Monumenta vocatum occurrit, Monumenti nempe, Conditivi, Conditorii, Tumuli, Sarcophagi &c. quas in medium affert (3) Julius Minutolius.*

(1) In lib. 5. Aeneid. (2) In lib. 6. Aeneid. (3) Dissert. de sepulc.

in suis Domibus sepeliebantur, *unde ortum est*, *ut Lares colerentur in Domibus*. Verum haec Kirchmanno displicent, si de Romanis intelligantur, quae de latinis tantum Populis ipse (1) fatetur; *At vero Romae*, ut ipse ait, *sub ipsis Vrbis Cunabulis multo ante latas à Decemviris Leges more quodam receptum fuit*, *ut extra Vrbem sepelirentur Vitâ functi*; Idque probat, tum quod Numa (2) in Janiculo, testibus Livio, Plutarcho, & Plinio (3), humatus feratur, itemque servius Tullius extra Vrbem ex Halicarnasseo (4), tum etiam quod P. Valerio Publicolae virtutis causâ sepulcrum à Senatu fuit in Vrbe concessum ex Tullio (5); Idque & de Fabricio, atque A. Posthumio Tuberto

(1) De Fun. Rom. lib. 2 cap. 20. (2) Onuph. Panvinius in de script. Vrb. Rom. Reg. 14. (3) lib. 3. cap. 13 (4) lib. 4. cap. 9. (5) lib. 2. de legib.

to etiam traditur: *Quale autem*, ut idem inquit Kirchmannus, *illud honoris argumentum*, *vel Virtutis fuisset praemium*, *si promiscue omnibus in Vrbe sepeliri licuisset?* Quid ergo dicemus? Mediam quandam viam cum doctissimo Minutolio (1) aperiemus, quâ, & servii auctoritatem, & Kirchmanni conciliabimus demonstrationem. Haec igitur distinctio est adhibenda: Vel de sepulcris publicis, vel de privatis esse poterit sermo. Hac praemissâ distinctione, de privatis intelligendum esse Servium arbitror, quum in propriis cujusque Domibus ea fuisse asserat; At de publicis Kirchmannum dixisse extra Vrbem eadem extitisse. Privata vero Sepulcra non pro iis, quae pro singulis corporibus statuebantur hic sunt accipienda, sed pro illis tantum, quae in privatis locis condebantur, & quae

ma

(1) Dissert. de Sepulcr. sect. 1.

magis opportune possent Clandestina nuncupari. Ea tamen Romanorum consuetudo publica haec sepulcra extra Vrbem condendi aliquoties neglecta Senatus consultum Duillianum, XII. Tabularum leges, Hadrianus (1); Diocletianus, & Maximianus (2), aliique in usum revocarunt, & hominem mortuum in Vrbe non sepeliri sanxerunt, quas tamen Leges Imperator Leo (3) suâ Constitutione abrogavit, liberam cuique sepulturam permittens, quod antea Antoninus ipse Pestis caussâ effecerat. Quibus vero de Caussis Cadavera extra Vrbem sepelirentur, inter alias potissimum has afferri video, ne scilicet sanctum Municipiorum jus pollueretur, ut Justinianus ait (4), atque ut libera Vrbs tetro (5), Cadave-

(1) L. 3. ff. de sepulcr. viol. (2) L. 2. Cod. de Relig. (3) Novell. 53. (4) L. Mortuorum Cod. de Relig. (5) Gyrald. de var. sepel. Rit.

verum odore minus pestilenti aëre afficeretur; Addit his Cicero, ne Rogi fortassis aliquando igne Vrbs conflagraret, aut incenderetur. Haec quoque caussa videri potest, si Bellum forte ingruisset, ne in suorum Majorum Monumenta Hostes grassari paterentur, sed alacriori eos animo à Moenibus Vrbis propellerent. Plane post latas etiam XII. Tabularum Leges, quidam in ipsâ Vrbe fuerunt sepulti, quos Legibus solutos Virtutis caussâ id consecutos fuisse Cicero (1) existimat. Virgines quoque Vestales, & Imperatores, quia his legibus non tenebantur, in Vrbe sepulcra (2) habuerunt, quod tamen Jus, ut Benedictus Averanius in suâ in Thucydidem Dissertatione (3) indicat, à nemi-

(1) loc. cit. (2) Rosin. Antiq. Rom. lib. 5. cap. 39. de Funer. & Sepulcr, Marlianus in Topographiâ Vrbis Romae lib. 5. cap. 2.
(3) Dissert. 24.

mine fere uſucaptum fuit; Eutropius ſiquidem narrat (1), ex Romanis Imperatoribus ſolum Trajanum in Foro conditum; Ceteri autem, quibus in Vrbe ſepeliri permiſſum, ad invidiam declinandam in Forum deferebantur, & ubi fax corpori ſubdita fuiſſet, auferebantur. Sepulcrum & habuit Romae Gens Cincia, & Claudia, ac Triumphatoris praeterea aut Imperatoris, qui Hoſtes Bello domuiſſet, vel armis Rempublicam auxiſſet, ubi extra fuiſſet crematus, Oſſa, & Cineres in Vrbem deferri, & componi Decretis permiſſum fuiſſe Pyrrhon Lyparaeus tradidit, atque eâ fortaſſe ratione id factum eſſe arbitror, ut Adoleſcentes continuo praeſtantiſſimorum Hominum egregia facinora intuentes, ad eos imitandos inflammarentur. Reliquis extra

(1) De Geſt. Roman, lib. 8. in princ. & ſext. Aurel. Victor. in Trajano.

tra Vrbem erant ſepulcra, & dupli-cia eſſe loca ſepulcris deſtinata, altera privata, publica altera narrant Hiſtorici. Illa quiſque in ſuis Hortis, & Agris (1) habebat; Et quidem ſi Agrum, vel Hortum Viae publicae Mortui proximum haberent, in eâ potiſſimum parte ſepulcra condi jubebant, quae Viam (a), ſpectabant, ea, ut arbitror, ratione, ut Viatores, Mortalitatis (2) admonerentur, quod antiquae Inſcriptiones, quae Viatores, vel Hoſpites alloquebantur, ſatis domonſtrant. Alia etiam ratio, nempe, ut Praetereuntes Mortuos ſalutarent ex ſequenti antiquo lapide (3) poteſt deſumi.

T.

(a) *Ideoque Sepulcra erant (4) ſaepe pro terminis.*

(1) Salvin in Adnot. ad Tract. Clar. Gorii de liber. Columb. §. 1. (2) Benedict. Averan. dict. Diſſert. 24. in Thucydid. (3) Gruter. pag. pag. 431. (4) Hygen. de limit. conſtit.

T. LOLLIVS. T. LOLLII. MASCVLVS
IIIIVIR. BONDICOMENSIS
HIC. PROPTER. VIAM. POSITVS
VT. DICANT. PRAETEREVNTES
LOLLI. VALE

Quod ſequens quoque lapis Piſis in nobilium Roncionorum Aedibus poſitus teſtatur.

PARTHENI. HAVE.
BENE. BALEAS.
QVI. ME. SALVTAS.
CVM. SOSSIA. FILIA. MEA.

Hic inſuper ſepulcra collocabantur, ut facilius Viatores levem Terram Defunctis precarentur, hinc Cippis ſaepius inſcribebant H. S. E. S. T. T. L. nempe HIC. SITVS. EST. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. Credebant namque Veteres, ſepultos adhuc eſſe incantationibus obnoxios, ideoque, ne eae nocerent, bene, ideſt *levem Terram* Tumulo precabantur; Quod ſi incantari (1) contigiſſet, tunc *Terra gravis* dicebatur. Qui igitur male alicui vo-

le-

(1) Quint. declam. 10.

lebant, *Terram gravem* imprecabantur, ideſt ut Tumulus incantaretur, quo Vmbra oppreſſa e ſepulcro non poſſet (1) prodire; Et ideo eos, quos dum viverent odio fuiſſent proſecuti, ne ad eorum ſepulcra accedere unquam praeſumerent inhibere conſueverant, quod in hac ſepulcrali Inſcriptione (2) his verbis exprimi videtur

EXCEPTA. SECVNDINA. LIBERTA. IMPIA ADVERSVS. CAECILIANVM. PATRONVM SVVM &c.

Idque ex ſophocle comperimus, apud quem Teucer Vliſſem obſecrat, ne ſe ullâ ratione Ajacis funeri immiſceat, aut ejuſdem Sepulcrum attingat. Hujuſmodi ergo Monumenta ſecundum Vias Militares, ſeu publicas, & quidem celebriores, ut Appiam [3], Aureliam, Flaminiam, La-

(1) Plin. lib. 2. (2) Gruter. Pag. 862.
(3) Olaus Borichius de antiq. Vrb. Rom. facie cap. 14.

Latinam, Lavicanam, Laurentinam, Oſtienſem, Praeneſtinam (1), ſalariam, & Tiburtinam [2] extruebantur. Hìc tamen illud eſt animadvertendum, quod pro arbitrio in Agro ſuo olim habere ſepulcra non licebat: *Vetat Plato*; ait Cicero [3], *ex Agro culto, eove, qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro, ſed quae Naturâ Agri tantummodo efficere poſſit, ut Mortuorum Corpora ſine detrimento Vivorum recipiat, ea potiſſimum, ut complectatur, quae autem Terra fruges ferre, & ut Mater cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus*, id quidem XII. Tabularum Lege, ac Pontificum Decreto cavebatur, licet deinde aliter obſervatum videamus: Publica loca, alia Pauperum, & vili-

(1) Georg. Fabric. in deſcript. Vrb. Rom. cap. 20. (2) Pitiſc. in lexic. verb. Sepulcrum (3) lib. 2. de Legib. cap. 27.

lium Mancipiorum funeribus Romani destinabant, & duplicia [*a*] erant, Puticulae nempe, & [*b*] Culinae [1]. Alia erant, in quibus inlustrium, & praeclare de Republicâ meritorum Hominum, tamquam singulare Virtutis praemium Sepulcra locabantur, idque potissimum in Campo Martio, ubi dumtaxat Reges, ut Ammianus indicat, humari consueverunt, in quem tamen, Dione teste, nemini absque publico Senatus Decreto Corpus licebat inferre: locum vero Sepulcris non omnes, at Augures tantū [2],

C vel

(a) *Columella etiam, mensa, saxum, Cippi, Labellum, Cupae, Massa, Ollae, Ossuaria, Vrnae, Ampullae, Phialae, Thecae, Culignae sepulcra erant* (3) *Plebis, & Pauperiorum.*

(b) *Publicus hic locus non procul erat ab Vrbe extra Portam* (4) *Exquilinam.*

(1) Petrus Morestellus de Pompâ ferali cap. 5. lib. 5. (2) Daniel. Clasen Theol. Gent. lib. 1. cap. 13. (3) Guther. de jur. Man. lib. 2. cap. 24. ubi omnia haec nomina feliciter explicat. (4) Varr. lib. 4. de Ling. Latin.

Pontifices assignabant, nisi ea forte hereditaria fuissent, *& tunc*, ut Rosinus ait (1) *non erat operae pretium Pontificem intervenire, nam eidem Patrifamilias idem jus erat, atque in reliquam hereditatem.*

Neque apud Romanos solum extra Vrbem mortuorum Corpora in sepulcro condere in more positum fuit; Nam & Athenienses [a], à quibus hunc morem Romanos accepisse Thucydidis testimonio Benedictus Averanius [2] docet, & Sicionii [3], & Smirnaei [4], & Corinthi [5], aliique extra Civitatem Se-

(a) *Praeter Tyrannicidas, & Coloniarū Ductores, qui in medio Foro tumulabantur, quod tamen apud Milesios (6) ignominiosum erat.*
(1) Antiq. Rom. lib. 5. cap. 39. de Funer. & sepulcr. (2) Differt. 24. in Thucydid. num. 23. (3) Plutarch. in vitâ Arati in fin. (4) Cicer. pro Flacc. (5) Afin. ad l. 2. §. in locum alterius ff. de relig. (6) Meurs de Funer. cap. 42. Melchior Junius quaest. polit. quaest. 110.

Sepulcra habuerunt, vel ad Litus Maris, ficuti Ajacis Tumulum Mari adjacentem fecit Philostratus, vel in Portibus, quem morem Laodiceae viguisse Paufanias (1) refert, vel ad Ripam Fluminis, ita ad flumen Pelopis Sepulcrum à Pindaro (2) ponitur, vel in Montibus, in quibus Principes, & Reges condi folebant, idque ex Virgilio eruitur, dum ait (3)

- - - - fuit ingens Monte fub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buftum.

vel in Lucis, quod apud Veteres fuit perufitatum, ibi enim Lares Viales Animae Heroum, & Piorum habitare (4) dicuntur: Et penes nonnullas Gentes Naves Sepulcrorum vices fervaffe, Nautis praefertim, ac Pifcatoribus Schefferus (5) tradit.

Apud Hebraeos etiam, quamvis

C 2 Non-

(1) lib. 5. (2) Od. 1. Olym. (3) Aened. lib. XI. verf. 849. & feq. (4) Clafen. Theol. Gent. lib. 1. cap. 13. (5) De Milit. Nav.

Nonnulli, ut Samuel (1), & Manaſſe (2) intra Vrbem fuiſſent tumulati; Tamen extra Civitatem in locis à Viventium habitaculis ſeparatis, ut in Agris, Montibus, & Collibus Mortuorum corpora fuiſſe condita ſacra Hiſtoria teſtatur: Et apud Hottingerum, tam vaſtae amplitudinis ad Montis Oliveti radices ſpeluncam eſſe Aggaeo Prophetae attributam legimus, ut alias, aliaſque ſinu ſuo capiat, & amplectatur, quem ſpecuum uſum pro funerandis Corporibus uſque ad Chriſti tempora viguiſſe ex Evangeliſtis comperimus.

Sed quid hac de re Chriſtiani ſtatuerint, videamus. Sane & ipſi extra Vrbem diu communem humandis Defunctorum corporibus deſtinatum locum, Coemeterium ab ipſis appellatum habuerunt; quae Coemeteria primitus, ſpecus ſubterraneae erant

(1) Samuel. 1, & 25. (2) Reg. *XI.* 10.

erant, & Conditoria non tantum Mortuis, ſed Vivis quoque latebras (1), & perfugia, graſſante Perſequutione (2) praebebant. Atque in iis, ut Clariſſimus Arringhius à doctiſſimo Boldetto relatus (3) oſtendit, Altaria ipſa e Marmoribus affabre compacta, ſuper quae incruentum celebrabatur ſacrificium, Sanctorum Martyrum erant Sepulcra; Quam Inſtitutionem non à Felicis Papae temporibus, ut nonnulli contendunt, ſed longe ante Eccleſia ſibi vindicat, idque Divinae Scripturae teſtimonio comprobatur. Nam quod habet Apocalypſis (4) liber: *Vidi ſubtus Altare Animas interfectorum propter Verbum Dei*, Altaria fuiſſe Martyrum Sepulcra clare demonſtrat; *Qui quidem mos*, ut Ciacconius ait (5),

C 3 ſem-

(1) Boldett. in Obſerv. ſuper Coemet. SS, Martyr. lib. 1, cap. 3. (2) S. Joann. Chryſoſt. Homil. 40. ad Pop. (3) Lib. cit. cap. 8. (4) Lib. 1. cap. 8. (5) tom. 1. pag. 182.

ſemper perſeveravit in Eccleſiâ , in eoque tam Graeci , quam Latini Interpretes aeque conſentiunt , pariterque affirmant , ſepulcrum Martyrum fuiſſe Altare , ac ſuper illud offerri conſueviſſe ſacrificium ; Atque hinc , Cornelio à Lapide teſte (1), ortum fuit , ut Altare , ſepulcrum Martyris, Memoria Martyris, Martyrium , ſive Confeſſio vocaretur . In his autem Coemeteriis nullos quidem alios , quam Chriſtianos humatos fuiſſe , fidem facit mutuum Fideles inter , ac Paganos odium , mutuus horror , quorum Neutri mortuos ſuos , cum aliis conſepeliri (2) paſſuri fuiſſent : Quod ſi Pagani aliquando Defunctorum ſuorum Corpora cum Chriſtianorum Corporibus conſepelire ſunt auſi , immortalem DEVM aliquo miraculo haec ſejunxiſſe , plurima teſtantur

(1) In Apocal. cap. 6. (2) Mabill. in Epiſt. 1. Euſeb. Rom. num. 1.

tur exempla. Sed in his haud diutius eſt immorandum, quum eadem ſatis longe, & erudite, inter ceteros, Boſius, Arringhius, Boldettus, & Muratorius fulgidiſſima Reipublicae literariae lumina explicarint. Auſpicatiſſimis vero Conſtantini Magni temporibus, ceſſante tandem aliquando Perſequutione, & Chriſtianâ Religione in dies augeſcente, Templa ſua paſſim Majores noſtri intra Civitates habere coeperunt illa priſca Martyrum dormitoria publicis Templis, ac Sacellis decôrantes, & ſpatia quaedam (*a*) juxta Templa humandis Defunctorum corporibus deſtinarunt, id quod, & olim a Ly-

(a) *In Majori Eccleſiâ quadraginta paſſuum, in Minori vero, aut Capellâ triginta à Sanctis Patribus ſpatium* (1) *eſt conſtitutum.*

(1) Lavor. de priſc. & recen. funer. mod. cap. 5. tit. 2. num. 103.

curgo, aliâ tamen ratione (*a*) permissum esse Plutarchus in ejus Vitâ fatetur. In Atrio deinde, vel Porticu, & Templorum Exedris dignitatis caussâ Mortuorum Corporibus sepulturam dare incoeperunt, atque ibi Constantinus Imperator, ejusque successores Theodosius, & Honorius, ut ex Chrysostomo, Evagrio, & Nicephoro Spondanus [1], & Sozomenus [2] referunt, id genus sepulturae sibi elegerunt; Non vero in Templis Mortuos contumulare Pontificio, vel Caesareo Jure (3) adhuc permittebatur, licet postea dignissimis, ac praestantissimis Viris concef-

(a) *Christiani enim Religionis caussâ, Lygurgus autem, ut Adolescentes humandis Cadaveribus assueti, ac continuâ quodammodo eorum consuetudine, Mortem minime horrescerent.*

(1) lib. 1. de Coemet. part. 3. cap. 14. num 4. (2) lib. 2. cap. ult. (3) L. Nemo Apostolorum Cod. de Sacros. Eccl.

cessum fuerit. Quod vero initio iis ferme solummodo, qui dignitate, & sanctitate insignes fuerunt, concedebatur, ita paullatim relaxatum est, ut omnibus pariter, nisi Excommunicatione fuerint perculsi, vel Notoriae sint impietatis, ut diximus, hodie nullâ dignitatis, aut sanctitatis habitâ ratione, liceat in Templis [1] habere Sepulcra; Nullius momenti reputatâ semper Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Imperatorum sanctione (2), quâ in Templo aliquem contumulari vetuerunt.

CAP. III.

QUALIA FUERINT VARIARUM GENTIUM SEPULCRA.

HActenus de sepulcrorum loco, nunc qualia ea fuerint, vide-

(1) Can. praecipiendum 15. vers. prohibendum caus. 12. quaest. 2. Engel. lib. 3. tit. 27. n. 2. (2) l. 2. Cod. de Sacros. Eccles.

deamus. Singularia igitur Sepulcra apud Veteres [1] ſcrobes erant in Terrâ cavati, quibus Mortuorum Corpora ſepeliebantur. Communia vero ſepulcra, ſubterranea plerumque erant aedificia concamerata, pavimento ſtrata, ac parietibus circumſepta, in quae per gradus aliquot deſcendebatur, quae Graeci Hypogea, Latini Conditoria nuncupant, atque ipſa in plura Cubicula diſtinguebantur, & tunc ſi duo eſſent Cubicula, *Diſomum*, ſi tria *Triſomum*, ſi quatuor *Quadriſomum Sepulcrum* (*a*) dicebatur. In Parietibus locus erat certo Ollarum, vel Urnarum numero deſtinatus, quem Ollarium, & Columbarium vocarunt; Quamvis interdum univerſo ſepulcro Columba-

rii

(a) *Idque agebatur; nam ſupra Defunctorum Corpora aliud Corpus ſuperponere (2) vetitum erat.*

(1) Kirchmann. de Fun. lib. 3. cap. 15.

(2) Gor. in Deſcript. Columb. §. 7.

rii nomen in vetustis Tabulis factum legitur, quemadmodum sequens sepulcralis eximius Titulus apud Fabrettum [1] ostendit

EX. TESTAMENTO. Q.
ERVCI. MONTANI. LEGATVM
C. QVINTIO. BATHYLLO. COLVM-
BARI. ITVM. AMBIT. DEBETVR

Atque hìc praetermittendum minime arbitror, Ollas istas, aut Cinerarias, quae Cineres, aut Ossuarias, quae Ossa exciperent fuisse; Majores praeterea, aut Minores; Magnae Minoribus erant honoratiores; Vtraeque in Sepulcris plerumque consecratae. Quod si vacuae essent, ac Defunctorum Cineres recondendos praestolarentur, *Ollae Virgines* dicebantur. Profecto mirifice erant dispositae, atque earundem numerus, & locus in subjectis, vel suprapositis inscriptis Tabulis notabatur, ut non solum non confunderentur, verum etiam, ut Clari-

(1) Inscript. Antiq. lib. 2. cap. 4. pag. 310.

rissimus Gorius (1) arbitratur, ut in annuis Parentalibus sacris, & Inferiis facilius inveniri, sacrisque libaminibus possent perfundi. Ita tamen se res habebat, quamdiu Corpora solebant cremari, qui cremandorum Cadaverum usus apud Romanos invaluit, qui tamen Infantes intra quadragesimum diem vitâ functos minime cremabant, sed in Conditorii protecto, sive suggrundâ (2) tumulabant, unde & eorum Sepulcra, *Suggrundaria* fuerunt nuncupata; iidem quoque fulmine ictos (3) excipiebant, & quidem eo ipso in loco, ubi icti, sepeliebant; fulguriti enim omnibus erant invisi, neque quisquam eos attingere, aut ad eos volebat (4) accedere, ideoque Numae Lex, eum, qui ita mortuus esset supra genua tollere

(1) In Descript. Columb. libert. &c. §. 10.
(2) Meurs. de Funer. cap. 41. (3) Plin. lib. 2. cap. 54. (4) Senec. de Irâ. lib. 3. cap. 23.

re ita vetabat (1) SI. HOMINEM. FVLMINIBVS OCCISIT. NE. SVPRA GENVA. TOLLITO, nisi forte in Templo, Theatro, Circo, alioque publico loco essent fulmine icti, tunc enim alio fuisse translatos Kirchmannus (2) ostendit. Crematio haec apud Graecos quoque, aliasque Gentes obtinuit, exceptis Persis, Aegyptiis, Hebraeis, (qui solum Saulis, filiorumque Cadavera, (3) combusserunt, ubi R. David. Kimchì combustionis exemplum docet extare), & Cristianis praesertim ob Resurrectionis fiduciam, qui nunquam Cadavera, nisi sceleftissimorum hominum, & haec etiam perraro ad statuendum exemplum cremarunt. At paullatim ejusmodi ritus exolevit, idque quamvis doctissimi Viri sub extrema Antoninorum tempora factum coniiciant, tamen quum & Minutius Fe-

(1) Festus in Occisum (2) De Funer. Rom. lib. 1. cap. 3. (3) Regum 1. cap. ult.

Felix (1), & Tertullianus (2) de crematis suo tempore Cadaveribus loquantur , satis indicant etiam post Antoninos ab Ethnicis cremata Cadavera , quum uterque Scriptor eorum aevo fuerit (3) inferior . Cum autem mos ille sensim sit abolitus hanc fuisse caussam arbitror , nempe quod Christianâ Religione invalescente , mos sepeliendi Cadavera ab Hebraeis ductus pariter invaluerit , ita ut paullatim alterum cremandi morem expulerit , quod ipsi quoque Ethnici id fecerunt , ut ex Lucernis gentilitatis notas , immo foeda , ac turpia praeferentibus argumenta apparet .

Exolescente sensim eo ritu , Romani Ollarum , vel Vrnarum loco Arcas in Hypogeis constituerunt , & tunc morem statuendi in sepulcris Lucer-

nas

(1) In Octavio (2) De resurrect. (3) Ferrar. de Vet. Lucern. sepulcral , Gothofred. ad L. Omnia Cod. Theod. de sepulcr. viol.

nas inventum fuisse verisimile videtur, nullus enim veterum Scriptorum Lucernarum sepulcralium meminit, Lychnuchus siquidem ille, quem Dio in Domitiano commemorat, non in Monumento erat, verum de Cippo pendebat. Haec Monumentorum Lumina ab Aegyptiis (*a*), Graecis, Etruscis, Romanis, Aliisque cognita, perpetuo arsisse, aeternumque fulgorem, si quid aeternum in humanis rebus esse possit, luce cassis faenerasse, quamplurimi doctrinâ celebres Viri arbitrati sunt. Cur vero Lucernae istae Sepulcris apponerentur, plurimi plurimas caussas attulerunt. At melior videtur Jacoboni opinio, nempe id factum in signum Animae immortalis, si tamen hoc Ethnici Homines credebant; Et haec est

(a) *Aegyptios primos Lucernarum usum invenisse Eusebius (1) docet.*
(1) Lib. 1. praepar. Evang.

eſt vera ratio, cur in hiſce Lucernis, quemadmodum, & in Sepulcris ſaepius, atque iterum Pegaſi figura occurrat. De Chriſtianis in confeſſo eſt, ſymbolum quoddam eſſe, atque imaginem Lucis illius, quam Vitâ functis ſolemni carmine adprecamur. Sed & haec eſſe poterat cauſſa, Veteres nempe in Defuncti honorem, Lucernas Sepulcris appoſuiſſe, ideoque Auguſtus ajebat Maſcabae Tumulum facibus honoratum. Fuit igitur, Ferrario teſte, apud Ethnicos Expiationis genus, & ideo, Februario menſe, Cerei ad Tumulum accendebantur, quod etiam apud Chriſtianos in more poſitum fuit, quem tamen ſolemnem ritum, pietatiſque officium aeternae beatae Lucis eſſe argumentum nemini latet. Lucernarum cura, niſi ita eſſent comparata, ut perpetuo lucerent, Libertis, vel Servis ſo-

(1) solebat demandari, hinc saepissime in vetustis Inscriptionibus datam Servis, & Ancillis à Dominis libertatem, legimus eâ conditione, ut Monumentis suis alternis mensibus Lucernam accenderent, & Solemnia Mortuis (2) peragerent.

Sepulcrorum Arae inter volutarum cornua superne excavatae, ac terebratae visuntur, vel ut in his cavitatibus varii insererentur flores, quibus valde Defunctorum Animas delectari credebant, vel ut ex superiori receptaculo parentales libationes, & Inferiae in Cinerariam Amphoram sub Arâ humi confossam possent defluere; Non enim postquam Mortuum Sepulcro condiderant à Parentationibus cessabant, at certi quidam dies apud Graecos pariter, & Romanos

 de-

(1) Heinecc. Antiq. Rom. lib. 2. tit. 1. num. 4. (2) L. Maevia ff. de Manumiss. Testam.

destinati erant, quibus Justa Mortuis persolverentur. Publice quidem Feralia, Diis Manibus sacrata Festa celebrabantur, & publicis Feriis dicatus Mensis erat (1) Februarius, dies vero decimus nonus ejusdem Mensis; Privatae autem Feriae, quibus parentare Defunctis consueverant, *Novendiales*, & *Denicales* dicebantur; Nono vero post funerationem die Parentalia, ac sacra Funebria concludebantur.

Sane in Virorum fortium Sepulcris, non Belli tantū, sed Pacis tempore Captivos hostes solebant necare: Ita duodecim Trojanos fortes Viros Achilles in Patrocli funere immolavit, quin ipsius Achillis Sepulcrum virginali sanguine imbutum Seneca scripsit. At postquam obsolevit barbara haec, & immanis Hominum immolandorum con-

(1) Cicer. lib. 2. de legib. Casaubon. lib. Animadv. in Athaeneum cap. 19.

consuetudo, quam Phoenices, Chartaginienses, Scythae (1), Galli, multaeque aliae Nationes antiquitus usurparunt, unde innumerabiles Homines in execrandis, horrendisque sacrificiis crudelissime perierunt, primis quidem temporibus ante Sepulcra Imperatorum dumtaxat, & Primorum, sequenti vero aevo privatorum Hominum, & Feminarum quoque, ut Lipsius docet, Gladiatores dimicabant, quod per triduum, aut quatriduum durabat. Huic ludo, sed nimis quidem serio, & inhumano non fuisse adhibitos nisi servos, & Captivos, neque quoscumque, sed malo tantum ingenio, contumaces nempe, & feroces, atque à Judicibus damnatos Tertullianus (2) scribit; At paullatim non Servi modo, & Captivi, at

D 2 Ho-

(1) Herod. lib. 7. Diodor. lib. 2. Plutarch. de superstit. Tertull. in Apolog. (2) Libro singulari de Certamine cap. 12.

Homines etiam ingenui, atque ex his alii quidem gratuitâ operâ, ex solâ scilicet pugnandi libidine, alii venalem à Lanistis, idest Gladiatorum Institutoribus, & Magistris, coëmtum sanguinem offerebant, & sub malis Principibus Equites, Senatores, & Mulieres etiam in Arenam descendebant, & cruentâ voluptate hisce Spectaculis à Mortuorum honore ad Vivos oblectandos traductis, animam effundebant; Immo adeo mores corruerant, & decus, atque Majestas adeo erat prolapsa (1) ut Commodus ipse Romanorum Imperator, Lampridio teste (2), in Arenam descendere, atque rudibus cum Gladiatoribus pugnare non dubitaverit. Qui ludus, quãvis à Constantino (3) fuerit prohibitus, tamen nonnisi sub Honorio (4) pe-

(1) Calliach. de Gladiat. (2) In ejus vitâ.
(3) L. unic. Cod. Theod. de Gladiat.
(4) Theodoret. lib. 5 Histor. Eccles. cap. 16.

penitus fuit fublatus. Verum ut ad Sepulcra redeamus, fi Gladiatores non effent, laniantes genas fuum effundebant cruorem, ut Imago illa Rogis reftitueretur, vel, ut Varro fcribit, ut *fanguine oftenfo Inferis fatisfieret*, quod poftea, ut inferius videbimus, XII. Tabularum Leges prohibuerunt.

CAP. IV.

SEPVLCRORVM VETERVM ORNAMENTA RECENSENTVR.

QUod fi Veterum Sepulcrorum Ornamenta infpicere velimus, mira profecto videntur; Non enim praetermiferunt Romani in ipfis fuis Monumentis ftatuas erigere, Vftrinas ponere, ad quas erant loca, in quibus Epulae coquebantur, quas tamen Vftrinas Monumentis fuis applicari nonnulli vetabant, ut ex hoc lapide apparet (1)

(1) Meurf. de Funer. cap. 41.

HVIC.
MONVMENTO
VSTRINVM
APPLICARI
NON LICET

quo caſu Epulas ad Sepulcrum per Servos deferri curabant. Aedificia quoque ipſis imponere, quod haec vetus Inſcriptio docet

M AURELIVS. ROMANVS. ET. ANTISTIA CERESIME. VXOR. EJVS. FECERVNT. SIBI LIBERTIS. SVIS. POSTERISQVE. EORVM. MONVMENTVM. CVM. AEDIFICIO. SVPERIMPOSITO

Graeci autem principum Virorum Sepulcris Porticus circumſtruebant, & ſuperinducebant (1) Orcheſtras, quin Templa etiam ſuperſtruebant. Aris inſuper Sepulcralibus ferales Coenae fuerunt inſculptae.

Duplicem vero, ne hoc ſilentio praetereamus, eſſe Coenam, Alteram, quam Defuncti Amici Domi comedebant

(1) Plutarch. in Timoleonte.

bant, cujus morem in nonnullis locis hodie etiam Gentes retinent, Alteram, quae ad Sepulcrum ferebatur à paupertinâ Plebe diripienda Varro (1) auctor est. Sane has Coenas apud quamplurimas Gentes fuisse in more, rei sese prodentis evidentiâ, & emicantis veritatis fulgore ab eruditis Viris fuit demonstratum. Et revera inter Graecos hunc viguisse morem Athenaeus Egesandri verba referens, & Lucianus de luctu testantur. Quod si à Graecis ad Romanos transeamus, Hos ferales Coenas fecisse constat; Quid enim aliud, quam Coena funebris, Festo teste, Latinorum *Silicernium* significat? Quod ad Sepulcrum Romanos fecisse Varro apud Nonium indicat: *Funus*, inquit, *exequiati cum plausu ad Sepulcrum* ANTIQVO MORE *Silicernium confecimus, idest Peridipnon, quo pransi* D 4 *disce-*

(1) De Ling. lat. lib. 5.

discedentes diximus alii aliis vale; *Antiquo* ait *more*, nam & Plauti temporibus Silicernium viguisse ipsemet Comicus (1) hisce carminibus fatetur

Coquum non potui, quàm hunc, quem duco ducere
,,Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
,,Ut esset hic, qui Mortuis Coenam coquat.

Sed nonne etiam apud Hebraeos fuisse silicernium liquet? Profectò apud eos ante Rabbinichas traditiones moderate, & honeste hoc adhibitum fuisse praeter Hyeremiam (2) atque Ezechielem (3), ex Tobiâ, ut Drusius animadvertit (4), certissimum est: *Panem tuum*, Filio ait, *& Vinum tuum super Sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*; At deinde, quum Hebraei profusis sumtibus funebres Epulas Populo exhiberent, adeo ut mos hic, ut Josephus Flavius scri-

(1) Act. 3. sc. 2. Pseud. (2) Cap. 16. vers. 6. & 7. (3) cap. 24. vers. 17. (4) cap. 4. vers. 8.

ſcribit (1), multos ad inopiam redegiſſet, & quum impius ille aeſtimaretur, qui hujuſmodi morem neglexiſſet, ut in Judaicâ Hiſtoriâ (2) Baſnagius obſervat, ideo hic mos antea honeſtus, & moderatus, vitioſus demum, & ſuperſtitioſus fuit exiſtimatus. Ad Chriſtianos etiam nonnullos mos hic tranſiit, qui quum oraſſent, auferebant, & edebant ipſi, vel pauperibus (3) donabant. Epulae iſtae in Orientali Eccleſiâ Epiſcopis dabantur, qui vel Clericis, & Peregrinis hoſpitio exceptis, vel egenis alioquin fratribus diſtribuebant. At quum plerique ad Sepulcra luxuriuſe epularentur, ſeque ipſcs Vino quaſi ſepelirent, ut Sanctus Auguſtinus (4) conqueritur; Cupientes maxi-

(1) Lib. 2. de Bell. Judaic. (2) Lib. 5. cap. 23. (3) S. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 8. cap. 27. (4) Lib. de Morib. Eccleſ. Cathol. cap. 34.

xime sanctae Ecclesiae Doctores ab Ethnicorum stultitiâ, & superstitione Christianos recedere, eorum studio, quorum intererat, ista ad Defunctorum Tumulos epulandi consuetudo, fuit tandem aliquando sublata, cautumque in Conciliis, ne ulli in Ecclesiis accubitus, & Convivia instituerentur.

Sed unde digressa erat, eo nostra revertatur Oratio: Quandoque igitur in Romanorum Sepulcris tres Gratiae videntur expressae, ut post Mortem apud Elysios, ut stulte credebant, Animarum beatitudinem, gaudium, ac felicitatem indicarent. Quemadmodum etiam Marinae Nymphae in iis insculpebantur, Pervulgata enim Veterum fuit Opinio, post Mortem Animas per Oceanum ad Elysios (1) deferri; Exprimebantur & Charites, quod scilicet for-

(1) Homer. Odyss. lib. 4. vers. 565.

formâ, atque aetate praestantes à Diis Amoris gratiâ rapi, & sideribus inseri solitos crederent, In aliis visuntur Leones diversi generis Animalia prosternentes, avidoque ore discerpentes, quo Symbolo inexorabile Fatum, Mortisque vim, & imperium Veteres denotarunt, quibus omnia subjecta esse credebant. Alia Gorgoneis capitibus muniebantur; In iis enim quandam inesse vim ad abigenda pericula, atque ad securitatem (1) praestandam putabant. In plurimis Monumentorum Anaglyphis Viri caput nullis lineamentis expressum est, quem morem privatae Personae forte ab Imperatoribus accepere, qui suas Imagines cum Deorum simulacris venerandas proponere[2] consueverunt. Nonnulla collapsis foliis ornabantur pineâ Nuce in medio conspicuâ, quae luctus, moe-

(1) Virg. Aen. VI. 289. (2) Hor. car. L. 4. Od. 5.

moerorisque feralia signa habentur. Aliqua etiam Cupressi foliis conspiciuntur ornata; haec siquidem Arbor, funebris (1) habebatur, & Diti, sive Plutoni erat sacra, nam semel recisa nunquam (2) renascitur; Quamvis alii hoc factum esse dicant, ne Pontifex imprudens funestas aedes intraret, atque ita pollueretur. Frequenter in pluribus Sepulcris Genii moerentes, inversis Facibus, quae Animam e Corpore migrasse denotant, innixi occurrunt, vel dormientes effinguntur, quod inter somnum, ac Mortem tanta sit similitudo, ut alterum pro altero usurpetur. Interdum gymnicis variis ludis se exercent, Choreas agunt, floreas Coronas nectunt, Lyram plectro (3) pulsant, Clypeos, Scuta, aliaque milita-

(1) Serv. ad Virg. Aeneid. VI. 216.
(2) Fest. verbo: Cupress. (3) Cl. V. Montfauconius Diarii Italici cap. 28.

taria Arma interdum sedulo fabricant, ac saepissimae Circenses ludos edunt, Currus agitant, Venationis studio, ac praedâ delectantur, & bellica gestantes spolia inducuntur: Putarunt siquidem Veteres, quae & Platonicorum fuit sententia, Animas à corpore sejunctas in Elysiis Genio suo indulgere, atque iis rebus incumbere, quibus in humanis agentes operam dederant, ac valde fuerant delectatae. Aviculae blandulae in Sepulcris hac illac subvolitantes passim occurrunt, vel ornatus gratiâ, vel ad significandam Elysiorum Camporum laetitiam, & amoenitatem, quam dulci Avium cantu fieri jucundiorem, Tybullus Elysiorum felicitatem describens (1) asseruit. Reperiuntur praeterea in Sepulcris figurae quatuor Anni temporum, quae, ut Bellonius docet, Symbolum erant beatae Vitae, quam

(1) Lib. 3. Eleg. vers. 57.

quam Animae purae, nullisque sordibus pollutae in Campis Elysiis agebant, donec fatali temporum Orbe circumacto in Vitam redirent. Quum autem Horae Portarum Coeli Custodes, à quatuór Anni temporibus minime fuissent diversae, atque ex Inferis Animas aliquando reduxissent, ut de Adonide, quem Horae ex Orco revocatum ad Venerem reduxerunt, ut Theocritus finxit, ideo & ipsae inter Sepulcrales Imagines conspiciuntur. Quid dicam de Floribus, & Coronis, variisque Sertis, quae in quamplurimis Sepulcris picta, & sculpta reperiuntur? Profecto veteres Romanae Gentes, ducto à Graecis initio, haec Defunctis esse gratissima existimantes, Mortuos suos coronabant, ipsorumque Sepulcra quotannis Florum, & praecipue Rosarum, quae prae omnibus aliis Floribus in maximo habebantur pretio, atque

Vn-

Vnguentorum ſparſione honorabant; Et haec fuit ſolum cauſſa, ut ex graecis, latiniſque ſcriptoribus, & ex Inſcriptionibus, Ornamentiſque Sepulcralibus apparet, cur quidam morituri praeciperent, ingenti pecuniâ ad hoc relictâ, ut ſibi quotannis Roſis, & Odoribus parentaretur, & cur ſibi Hortos Sepulcris ſuis vicinos compararent, ut ex illorum reditibus illa fieret parentatio, quod ex ſequenti Inſcriptione colligitur.

LONGIVS. PATROCLVS. SEGVTVS. PIETATEM. COL.
CENT. HORTOS. CVM. AEDIFICIO. HVIC. SEPVL. JVNCTO.
VIVVS. DONAVIT. VT. EX. REDITV. EOR. LARGIVS. ROSAE.
ET. ESCAE. PATRONO. SVO. ET. QVANDOQVE. SIBI. PARENTETVR.

Quem tamen morem ſalſe ridet in Nigrino Lucianus, ſtolidos poſt Mortem eos appellans, qui ita ab he-

heredibus vellent honorari. Hunc vero Gentilium ritum Coronis, ac Floribus ſpargendi Sepulcra veteres Chriſtiani penitus abhorruerunt, à quâ tamen ſimplicitate, ut ad Pammachium Sanctus Hieronymus ſcribit, poſtea receſſerant, variiſque floribus mortuorum Sepulcra ſpargebant, idque ex elegantibus Prudentii verſiculis ediſcimus.

Nos tecta fovebimus Oſſa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & friga ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Odores ſiquidem, atque Vnguenta in Cadaveribus condendis liberaliſſime impendebant, ut diutius ſervarentur, idcoque Tertullianus (1) dixit: *Si Arabiae quaerantur, ſciant Sabaei pluris, & carius merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari; quam Diis fumigandis*; Idque ab iiſdem futu-

(1) In Apolog.

turae Resurrectionis fiduciâ agebatur; Nam, quum incertus esset supremi Judicii adventus, primis Ecclesiae incunabulis, non longe abfore summum Diem credebant, atque, ut Ferrarius inquit, omnia faciebant, ut brevi excitandas mortales Exuvias, immunes à tabe praestarent, unde apud Minutium ajebat Ille, Christianos, qui in totum Vnguenta abdicaverant, ea solis funeribus reservasse. Verum ut ad Romanos Ethnicos revertamur, iidem Sepulcra Sigillis, quibus Historia, & Ethnica Theologia illustrantur, ornare consueverunt; Et militaria signa tanquam laudis, & Virtutis Trophaea ad Heroum Monumenta solebant apponi. Ab Eis in Sepulcris Operis antiqui Vascula multa ponebantur, in quorum fundo, vel Artificis Nomen, vel Deorum, in quorum Tutelâ erant Defuncti, atque ipsorum Defunctorum

Imagines notabantur; In iis varii liquores, fere Lacrymis, & Opobalsamo compositi asservabantur, ut sequens Inscriptio (1) testatur

C. LAELIO. C. F. IV.
MAGNA. HOMINVM. EXPECTATIONE. GENITO
ET. DECIMO. OCTAVO. AETATIS ANNO
AB. IMMANI. ATROPO. E. VITA RECISO
FVSCA. MATER
AD. LVCTVM. ET. GEMITVM. RELICTA
EVM. LACHRIMIS. ET. OPOBALSAMO. VDVM
HOC. SEPVLCRO. CONDIDIT

Et quoniam lacrymarum Vascula commemoravimus, supervacaneum fore non arbitramur Veterum Lacrymas, modumque, quo Lacrymae in hujusmodi Vasculis ponebantur, breviter expo-

(1) Gruter. pag. 692. 10.

exponere. Quum igitut illorum Mortem, qui non longâ tantum societate, at ſanguine etiam dilectos fuiſſe, acerbe deplorare ipſa met Natura docuerit, mirum ſane non eſt ſi Romae à primis ſuis Incunabulis Cadavera juſto dolore, veriſque Lacrymis obſequerentur, ut ex pluribus antiquis Inſcriptionibus liquet, & praecipue ex Inſcriptione animadverſione dignâ, & à Grutero (1) relatâ, quam in hujus rei teſtimonium libet referre

T. PLAVTIO. P. F. DE. MVNICIPIO. ATTACEN. OPTIME. MERITO. ET. XXXVIII. AET. ANN. E. VITA. SVBLATO. TOTO. POP. CVM. MAGNA. LACRI. FVNVS PROSEQ.

QVINTIA. PAVLINA. MATER ANN. LXXXIII. AD. FLET. AD GEMITVM. RELIC. TVMVL. LACRIM. PLEN. E. MARM. HVM. D. DEDIT

(1) Pag. 700. 13.

Docente eâdem Naturâ Graecos Popolos suorum Morti ingemiscere, testimonio est Euripides, qui Orestem in Regione barbarâ moriturum, de ejus Morte à sorore flagitavisse Lacrymas tradit. Eâdem Causâ Civium Interitum deflevisse Hebraeos, praeter ceteros, David testatur, qui quum Abner in Hebron (1) Sepelissent, Ipse omnisque Populus super ejus Tumulum flevit. Atque hoc Christiani, Persae, Lacedaemones, Aegyptii, aliaeque Gentes, si Thraciae Nationem excipiamus, quae Natales Hominum flebiliter (2), Exequias cum hilaritate celebrabat, fieri consueverunt. Verum, quum id sequentibus temporibus Lacrymis immoderatis, ac reboanti, & horrifico ejulatu, nec sine genarum laceratione, sanguinisque effusione, ut superius innuimus, à Romanis factum esset,

ideo

(1) Reg. Lib. 2. cap. 3. (2) Valer. max. L. 1. c. 6.

ideo per XII. Tabularum Leges ſancitum fuit : *Mulieres genas ne raduntο ; neve leſſum funeris ergo habento*, quod prius per Solonem, ipſumque Platonem vetitum fuit : Moderatum tamen luctum Romani Decemviri (1) optantes, ut lugendi mos decore ſervaretur, Praeficas (*a*), tanquam Magiſtras ciendi Leſſum, nempe Naenias, e Cariâ Romam duxerunt, ut ceteris flere cupientibus locū darent. Hae Mulieres apud Siculos *Reputatrices* nuncupatae luctui tantum praeerant, tota enim Funerum pompa ad Deſignatores, Pollinctores, Veſpillones, & Libitinarios ſpectabat. Praeficae manibus vacuis procedebant, & venditas, atque ementitas has lacrymas per genas, perque ſinus vagantes libere

(a) *Sequentibus temporibus, relicto à Latinis* Praeficae *nomine, Lucium Apuleium* Monumētarias Ceraules *vocaviſſe conſpicio*

(1) Cicer. lib. 2. de Legib.

re finebant, quae deinde à Necessariis, & Propinquis de Vase in Vas elutriabantur, donec ad integrum explendum funus sufficerent, immo, ut ex Petronio habemus, quandoquidem quoque commodabantur. Vt vero condito etiam Sepulcro tanti doloris testimonium cum Cineribus remaneret, hanc lacrymarum pluviam in Ampullis vitreis, ac fine manubriis asservabant, Cinerique apponebant. Morem hunc ducendi Praeficas in Funere apud Graecos antea viguerat; Nam *Sophisti*, *Thrinon*, *Thrinodos*, *Thrinitria*, mulier illa, vel ille Vir (*a*) vocabatur, qui conductus in Funere plorabat. Apud Hebraeos vero fuisse Praeficas ab ipsis *Sapientes* nuncupatas Josephus Flavius (1) tradit, ipsarumque meminit, Hyeremias

(a) *Raro adhibebantur Viri; Mulieres siquidem ad luctum sunt faciliores.*

(1) Lib. 3. de Bell. Judaic. cap. 15.

mias, qui Judaici Populi Mortem lugens ita scripsit: *Contemplamini, & vocate Lamentatrices, & veniant, & ad eas, quae* sapientes *sunt mittite, & properent, festinant, & assumant super vos lamentum*. Christiani hoc modo Mortuis parentare consueverunt, quod à Sanctis Patribus pluries vetitum fuit, sed non penitus (a) sublatum. De funebribus lacrymis praedicare plura possent,

Sed nos immensum spatiis confecimus Aequor,
Et jam tempus Equum fumantia solvere colla: (1)

Redeat igitur, unde huc defluxit Oratio, & ad cetera Sepulcrorum Ornamenta recensenda revertatur. Equestrium igitur Certaminum simulacra, Sacrificiorum, Venationum, Ludorum Curulium, Triumphorum, Pu-

(a) *Nam hodie etiam, non inter Graecos tantum, ut ex Petro Bellorio ediscimus, aliasque Gentes, sed inter Italos quoque aliquando morem hunc adhibitum fuisse conspicimus.*

(1) Virg. Geor. lib. 2. vers. 542. & seq.

gnarum, Satyrorum Puellae dormienti insultantium, Deorum Marinorum in Piscium caudas desinentium, & vehentium in eis Nymphas, quatuor Ventorum, servilium Suppliciorum, Plutonis Proserpinam rapientis, laborum Herculis, aliaque plura simulacra, Romani, Graeci, aliaeque Gentes insculpebant, quorum caussa, quum à quamplurimis clarissimis Viris describatur, heic rursus exponere, operae pretium non esse existimamus.

Videamus demum Titulos, seu Inscriptiones, quae & Epitaphia dicuntur, in quadratis Columellis posita, quae Cippi nuncupabantur, & quae maxime Veterum Sepulcra exornabant. Sane Tumulus quandoque sine Titulo fuit, sed raro, quare Daphnis Pastor apud Virgilium (1) mandabat.

Et Tumulum facite, & Tumulo superaddite carmen.

Apud Christianos tamen magna Sepul-

(1) Eclog. 5. vers. 42.

pulcrorum pars in Coemeteriis nullâ Inſcriptione notabatur, quod Prudentius ipſe obſervans ita (1) memoriae prodidit

Quanta Virum jaceant, congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum Nomina nulla legis
Sexaginta illic defoſſas mole ſub unâ
Reliquias memini me didiciſſe hominum;
Quorum ſolus habet comperta Vocabula Chriſtus.

Quandoque in Cyppis Veteres ſolum Defuncti Nomen inſcribebant, ut ex pretioſis illis eruditae Antiquitatis Reliquiis, quae Florentiae in Aedibus Inluſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Viri CAJETANI ANTINORI inter regendos Etruriae Viros Praefecti ampliſſimi, magno aetatis noſtrae bono, & incremento, ſummo ſtudio, ac coeleſti quâdam providentiâ aſſervantur, ſequens Titulus oſtendit

D. M. S.
P. G Y R S V S
H. S. E.

Quod

(1) In hymno de Sancto Hyppolito

Quod etiam inter quamplurimas Inſcriptiones, quae Florentiae in ampliſſimis Riccardianis Aedibus praeſtantiſſimorum Virorum praeconiis celebratiſſimis, conſpiciuntur, ex ſequenti Titulo patet

AGABINIVS
APOLLONIVS
HIC EST

Parce Titulis uſi ſunt Lacedemonii, Atque Hebraei, ut Schickardus ait (1), non admodum Epitaphia curarunt, quamvis nudae Nominum, Annorumque Inſcriptiones, quum Hiſtoriam, & Chronologiam juvent, non improbentur. Hos vero Titulos non ſolum Sepulcra, at Ollae etiam, & Vrnae habuerunt. ut hic Lapis, qui Romae extat teſtatur. (2)

CLA-

(1) De Jur. Reg. Hebraeorum cap. 6.
(2) Gruter. pag. 865. 10,

C L A V D I A. A P H R O.
V. A. X X V.
L. A N T O N I V S. P O T H V S
O L L A M. C V M. T I T V L O. B E N E-
M E R E N T I

Sepulcrales Lapides communi usu Graeci Diis Subterraneis, sive Inferis; Latini Diis Manibus (quae formula aliquando in Christianos obrepsit) quandoque etiam, sed raro Diis Inferis scribebant. Saepius tamen, atque iterum Veteres lapides Sepulcrales nemini scripsisse certissimum est. Id inter innumeras Inscriptiones ex sequenti Pistorii in magnâ Aulâ Palatii Dominorum positâ eruitur.

L. B A. E B I O. P. F.
V E L.
IIIIVIR. I. D. PISTOR. (a)

Bre-

(a) *Hic Sepulcralis Titulus, ut legentibus liquet* Lucio Baebio Publii filio, ex Velinâ Tribu Quatuorviro juridicundo Pistorii positus fuit.

Breves hos Titulos componebant Antiqui, & rationem his versibus Propertius (1) reddidit

> Hoc Carmen mediâ dignum me scribe Columnâ,
> Sed breve, quod currens Vector ab Vrbe legat.

Hinc factum est, ut quo breviores, eo elegantiores haberentur. Non tamen semper Lapis versibus quatuor ex Platonis Lege fuit incisus; plerosque enim Titulos ad multos excurrisse versus veteres Inscriptiones docent. Hi solutâ Oratione, aut Versibus scribebantur. Aliquando pluribus concepti erant linguis, ut Gordiani III. Imperatoris Sepulcri Titulus, qui linguis quinque Graecâ, Latinâ, Persicâ, Judaicâ, & Aegyptiacâ fuit inscriptus; Aliquando etiam non Nomen, at prudens aliquod, & breve dictum praeseferebant, quale legitur in Monumento Albae Juliae, ubi geminae mortuorum statuae hoc su-

(1) Lib. 4. Eleg. 3.

ſuperadditum eſt Epigramma

NISI. VTILE. EST. QVOD. FACIMVS
. STVLTA. EST. GLORIA

Vt autem Tituli clariores eſſent, & eo facilius à Viatoribus (1) legi poſſent Minio ſcribi, aut ſignari ſolebant, quod non Ethnici ſolum, ſed & Chriſtianae Religionis Cultores fecere: Quem morem Romanos ab Etruſcis didiciſſe Clariſſimus Gorius (2) exiſtimat, qui vel ex atramento Titulos inſcribebant, vel e colore rubro tam vivido, *ut heri*, *aut nudius tertius*, ut ipſe ait, ſcripti videantur. At ſi quot fuiſſent Titulorum genera quaeratur, haec tria fuiſſe, unum nempe ad honorem, ridiculum alterum, tertium ad infamiam veteres Inſcriptiones teſtantur. Inter Titulos, qui eleganter ad honorem ſunt ſcripti principem ſane locum tenet, il-

(1) Plin. Libr. 35. cap. 7 (2) In Praefat. ad Inſcript. Donian.

ille, quem Vir Clarissimus, quum Praetorianorum Praefecturam invitus obiisset, quâ postea se abdicaverat, ac septem reliquos Vitae Annos Ruri transegisset, suo Monumento ita jussit inscribi

HIC. JACET. SIMILIS. CVJVS
AETAS. MVLTORVM. ANNORVM. FVIT
IPSE. SEPTEM. DVMTAXAT. ANNOS. VIXIT

Et revera cur nam vita ea est dicenda, quae negotiis, vel honoribus implicata efficit, ut Nemo ad Virtutem studia libere conferat, quâ dumtaxat Nominis Immortalitas comparatur? Quomodo vero ridiculi Tituli componerentur, sequens Inscriptio (1) demonstrat

VIXI. DVM. VIXI. BENE. JAM
MEA. PERACTA. MOX. VESTRA
AGETVR FABVLA. VALETE
ET PLAVDITE

At infamium quoque Titulorum subii-

(1) Gruter. pag. 742. 7.

biiciamus exemplum (1)

PONTIA. T. PONTII. FILIA
HIC. SVM. QVAE. DVOBVS. NATIS
A. ME. VENENO. CONSVMPTIS. A-
VARITIAE.
OPVS. MISERAE. MIHI. MORTEM. CON-
SCIVI
TV. QVISQVIS. ES. QVI. TRANSIS. SI
PIVS
ES. QVAESO. A. ME. OCVLOS. A-
VERTE.

Ceterum in Titulis ad honorem positis plerumque res praeclare gestae, laudes, Familia, vitae conditio, nonnumquam caussa, genusque Mortis, interdum Patria, fortunae, opes continebantur, quandoque etiam in iis integra Testamenta inscribebantur: Non raro insuper Ethnici pariter, & Christiani Vitae horas in Epitaphiis notare consueverunt, quod de Ethnicis hic probat Lapis (2)

DIS-

(1) Gruter. pag. 921. 6. (2) Gruter. pag. 912. 4.

DIS. MANIBVS
FORTVNATA
VIXIT. ANNIS. II. MENS IV.
DIEBVS. X. HORIS. VIIII.

Et de Christianis hoc Lapide e Coemeterio SS. Processi, & Martiniani eruto ostenditur

ZENVARIA. BIRGO. PVELLA. QVAE
VIXIT. ANNOS. XVIIII. MES. DVO. D. XXVII. OR. IIII

Atque hoc etiam pervetusto Christiano Lapide, ubi non horae tantum, at scrupuli quoque notantur, quos Minutis nostris respondisse Gorius ille doctissimorum hominum laude omni aevo sūmopere celebrandus arbitratur

BENEMERENTI. IN. PACE
SILVANA. QVAE. HIC. DORMIT
VIXIT. ANN. XXI. MENS. III.
HOR. IV. SCRVPVLOS. VI.
DEPOS. IV. KAL. IVLIAS - - - a
QVI. - - - - IN. - - - - (a)

Dies vero Obitus, quum apud Ethnicos esset infelix, & ater, ideo ab eis in suis Titulis rarissime usur-

patur

(a) *Haec ultima linea* QVI......IN......, *fortassis significat* QVIESCIT. IN. PACE

patur, quod tamen frequentissime in Christianorum Sepulcris occurrit, apud quos profecto, ne hoc sileam, praeter ceteras formulas in suis Titulis adhibitas, formulam IN. PACE non solum amoris, verum etiam pietatis, sanctaeque fidei plenam, à Judaeis etiam adhibitam saepissime usurparunt; Ita in Inscriptionibus Martyrum Exuperantii, & Victorinae à Boldetto (1) relatis legitur EXVPERANTIVS. IN. PACE. VICTORINA. IN. PACE. ET. IN. CHRISTO. Idem confirmat celebre Gordiani Martyris Epitaphium à Clarissimo Joanne Lamio in aureo illo, ac cedro digno *de Eruditione Apostolorum* Opere relatum, quod ita habet

TEMPORE. ADRIANI. IMPERATORIS
MARIVS. ADOLESCENS. DVX. MILITVM. QVI.
SATIS. VIXIT. DVM. VITAM. PRO. CHRISTO
CVM.SANGVINE.CONSVMSIT.IN.PACE.TANDEM
QVIEVIT. BENEMERENTES. CVM. LACRYMIS
ET. METV. POSVERVNT. ID. VI.

 Ethni-

(1) Lib. 1. cap. 60.

Ethnicorum Tituli ſaepe allocutione ad ipſum Defunctum habitâ abſolvuntur, & praecipue hoc verbo VALE, cui fingitur Sepultus reſpondere ET. TV. Apud Hebraeos Inſcriptionum Clauſula plerumque erat SIT. ANIMA. EJVS. IN. PARADISO. & apud Chriſtianos Oratione apprecatoriâ PAX. TECV. elisâ, ut ſaepe ſaepius antiqui Lapides ſolent ultimâ M. Inſcriptio concludebatur.

Hebraeorum modo Sepulcra inſpiciamus. Hi plerumque ex lapide cavato, non in Terrâ defoſsâ, quemadmodum hodie videmus, Potentiorum Sepulcra habuerunt, ac ſaepiſſime ipſorum corpora non humata erant, aut Thecis incluſa, ſed ita in loculis expoſita, ut videri, ac tangi à Viatoribus poſſent. In his ſuis Monumentis Candelabri, & Palmae Symbola videbantur expreſſa, quae, ut videbimus, Chriſtiani quoque Sepulcris

ſuis

suis appinxere; Palma etiam in Ethnicorum Epitaphiis sculpta videtur; At Cornu Symbolum, tum ad Pontifices, tum ad ungendos Reges, nonnisi in Judaicis Monumentis scio reperiri. Alia insuper Ornamenta Sepulcris suis Hebraei apposuerunt, quae Joannes Henricus Hottingerus in suis *Cippis Hebraicis* latinitate donatis, notisque inlustratis explicat.

At Christianorum Sepulcra sine piaculo praeterire certe non possem. Apud eos quidem, Sancto Hieronymo teste (1), Monumenta, fossae plerumque stratae Lapidibus fuerunt; Hodie in Conclavibus aliquando concameratis, quibus Coemeteria, vel Templa constant, deponuntur, & in ipsa per plura Ostia, quorum primum *Superius*, alterum *Inferius* dicitur, descenditur. Diversa sane ornamenta, quorum nonnulla ab Ethni-

(1) Epist. 49. tom. 1. ad Innocent.

cis quoque fuerunt adhibita in Sepulcris suis Christiani insculpere consueverunt. Vites quippe Vvis refertas, quae Israeliticum Populum, ac Sinagogam designant in abditis Coemeteriorum Cubiculis frequenter pingebant. Interdum rudes, luteasque Cathedras in Coemeterialibus speluncis, intra quas colligebantur, erigebant, in quibus, Arringhio teste, velut sublimiori in Throno, dum ad Synaxes, & Martyrum Natalitia convenirent, Romani Pontifices considerent, vel certe eorundem Imagines in Coemeterialibus Parietinis ad designandam Apostolicae Cathedrae praeeminentiam affabre delineabant. Celeberrimum etiam Candelabrum, quod septenis quidem Lucernis jugiter praefulgebat, & sub ipsâ Mosaicae Legis Vmbrâ, velut quid praecipuum ad sacrum Judaici Templi cultum Hebraei adhibebant, cujus

Ima-

Imago, ut diximus, in Hebraeorum Monumentis frequenter exprimebatur, in Christianorum Coemeteriis pingi, ac repraesentari aliquando consuevit. Quandoque Phoenix Resurrectionis Symbolum; Equi, iique, vel soluti libere pascentes, vel Quadrigas trahentes; Anchora Cruciformis; Aves; Fera etiam Animalia; Victorialis Olivae Symbolum; Christi Imago Pastoris habitu Oviculam super humeros gestantis; Corona; Navis; Piscis; Numeri; Pedum vestigia, quae in Ethnicorum quoque Sepulcris interdum occurrunt, ac sexcenta alia Ornamenta, ut videre est penes Coemeteriorum Scriptores, in Christianorum Sepulcris videntur insculpta, inter quae Palma, & Ampullae sanguine tinctae animadversione dignae videntur. Palmam Profecto Sepulcris appositam, hanc solam, quidquid nonnulli Viri cetero-

quin doctissimi dixerint, esse peculiare Martyrii Insigne, ac per eam Martyres à ceteris Sanctorum Ordinibus distingui Boldettus evidentissimis rationibus (1) comprobavit. Ampullas vero sanguine tinctas, quae in antiquorum Christianorum Coemeteriis ad caput Sepultorum (a) positae, vel intra ipsum loculum, vel extrinsecus agglutinatae saepissime inveniuntur, pro certissimis Martyrii signis habendas esse, etiamsi Palma eis adiuncta non sit, res est ita multis experimentis fulta, ita validis demonstrata rationibus, ut homines ipsi à Romanae Ecclesiae communione alieni, dummodo vel maxime imperiti non sint, vel temere audaces fateantur.

(a) *Interdum tamen accidit, ejusmodi cruentas Phialas fuisse inventas ad ea Sepulcra, in quibus Martyrē contineri aliunde* (2) *constabat.*

(1) Lib. 2. cap. 45. per tot. (2) Arring. Rom. Subterr. lib. 3.

CAP. V.

SEPULCRORUM MATERIA, EORUNDEM APUD VARIAS GENTES MAGNIFICENTIA, ET SANCTIONES AD IPSORUM MODERATIONEM SPECTANTES IN MEDIUM AFFERUNTUR.

NUnc ex quâ Materiâ essent Sepulcra, res ipsa, ut ostendam, exposcere videtur. Quum igitur varia, & diversa apud Nationes sepeliendi fuerit ratio, & vario subinde tempore; Ita quoque varia, & diversa fuit Materia, ex quâ Monumenta fuerunt confecta; Alia enim erant Lapidea, alia (1) testacea, alia marmorea, aenea alia, alia (2) vitrea, alia demum Assio lapide conficiebantur, ubi, Plinio teste (3), Corpora Defunctorum condita intra quadraginta dies, exceptis dentibus, ab-

(1) Strab. Lib. 8. (2) Herod. Lib. 3. cap. 6. (3) Naturalis Historiae Lib. 3. cap. 17.

absumuntur, ex quo Arcae hujusmodi lapide confectae sarcophagi dici consueverunt, & pro Sepulcro usurpantur; Quamvis deinde omnes Mortuorum loculos, etsi ex aliâ essent Materie, sarcophagos(1) nuncuparent.

Tanta vero in Sepulcris apud veteres Gentes fuit Magnificentia, ut Nationes nonnullae Mortuorum Sepulcra, quam Vivorum Domicilia impensius, studiosiusque curarent, á vero eos aberrare existimantes, qui brevioris Vitae splendida Aedificia construerent, Sepulcra autem, in quibus diutissime est quiescendum, negligerent. Inter has Nationes praecellebant Aegyptii (*a*), adeo ut vetustissimis *Sumtuosis* Aegyptiorum regum, & Magnatum Sepulcris, nulla alia

(a) *Tres apud Aegyptos erant sepulcrorum species sumtuosa, Mediocria,&*(2)*Humilia.*
(1) Modestin. in L.libertis ff.de Aliment. &c.
(2) Ciampin. Rom. Vet.Mon.part.1.cap.19. Bergierius de public.&Milit.Imp.Rom.Viis.

alia valeant comparari. Hi enim praeter Mausolea primi & irremeabiles Labyrinthos, & Pyramides struxere, quae tantâ arte, ac tam magnâ mole surgebant, ut ea Martialis miraculo proxima existimaverit, ubi inquit (1)

Barbara Pyramidum sileat Miracula Memphis

Ipsarumque nonnullas in Aegypto conspici praeter Ceteros Nardius tradit (2), qui Sepulcrorum extantium Ortographiam affert, quam Magnus Etruriae Dux FERDINANDVS Studiorum, Artiumque Promotor imperavit delineare. Nec omiserunt Graeci praesertim, & Romani magnificentiam in construendis Sepulcris ostendere, quod miranda Vrbis Romae vetustissima Monumenta testantur, ac praecipue clarissimum illud, ac magnificum Octaviani Caesaris Au-

(1) De Spectacul. Epigr. 1. vers. 1. (2) In Commen. ad Lucret. de Rer. Nat.

Augusti Sepulcrum in Campo Martio, de quo in ejus Vitâ agit Suetonius, & Nasoniorum Monumentum, in quo elegantissimis Picturis, & pulcherrimis Imaginibus penicillo expressis Ovidius Naso exhibetur, quem dilectissima ejus Erato comitatur, illorum Carminum suavitatem dulci Cytharae cantu exprimens, quae ferocissimos Tomitanos, barbarosque Ponti Incolas numeris suis potuerant demulcere. Romanorum sane inclytus Genius non solum in Mausoleis, & Pyramidibus attollendis Aegyptiacum morem certatim studuit imitari; verum etiam adeo proceras, immanesque Columnas est architectatus, ut Aegyptiacam magnificentiam excesserit, ac superaverit. Hae namque sublimes Moles celeberrima Defunctorum gesta anaglyphe expressa exterius praeseferebant, atque introrsum cochlidibus schalis arcuatae, eo

usque erant concameratae, ut quisque, Ciaconio, & Fabretto testibus, ad summitatem valuisset ascendere: Hebraei ipsi Aegyptiis finitimi in construendis Sepulcris Aegyptiacum fastum sunt imitati; Nam, ut ipsi, Mausolea, aliaque magnificentissima Sepulcra condiderunt, quae non ditioribus solum, ac principibus Viris, at Prophetis quoque, justisque Viris licet pauperibus, publicis tamen Votis, ac sumtibus, construebantur; Ideoque Sanctus Hieronymus in Scribas invehitur, qui ut bonitatem simularent, Plebique imponerent, se dissimiles Patribus homicidis exhibentes, splendide Occisorum Monumenta exornabant. Quod vero in Hebraeorum Sepulcris maxima esset ambitio, solum Davidis Sepulcrum ostendit, in quo ditissimos etiam à Salomone Thesauros conditos tradit Josephus(1), ex-

(1) Antiq. Lib. 7. cap. ult.

ex quibus postea tria Talentorum millia Hircanum Pontificem ab Antiocho Pio Hierosolymis obsessum effodisse, atque eorum partem tradidisse Regi, ut ab obsidione desisteret, & diu post, Herodem maximam pecuniae vim ex eodem Sepulcro eruisse. Sed hoc, ut Calmetius scribit (1), forte & ex Hebraicis Monumentis, & ex vulgari traditione Josephum conflavisse ex Arabicis Manuscriptis, quae clarissimus le Jay in suis Polyglottis inseruit, potest deduci; Haec enim ostendunt Hircanum Pontificem, quo tempore ab Antiocho Sidete Hierusalem obsidebatur, Thesaurum olim ad quendam ex posteris David spectantem reclusisse, unde, ingentibus erutis pecuniis, nec minori summâ relictâ, iterum clausisse. In Christianam etiam Ecclesiam luxus, & ostentatio in con-

struen-

(1) In suo Dictionar. Histor. verbo David.

ſtruendis Sepulcris, quandoque irrepſit, non pretioſis tantum veſtibus Defunctorum involventes Corpora, ſed & alias res, aurum etiam, & argentum Sepulcris inferentes, quod & apud Ethnicos in more poſitum fuit, qui non ſolum maximam pecuniae copiam in Sepulcris ſuis poſuerunt, ut ex ipſo un Inſcriptionibus apparet IN. HOC. MM. S. P. SN. FN. nempe IN. HOC. MONVMENTO. SVNT. PECVNIAE. SINE. FINE, ut Manutius interpretatur, quod poſtea apud Romanos XII. Tabularum Leges prohibuerunt; Sed quidquid in deliciis, atque in pretio habuerant cum Viri, tum feminae dum viverent, ab Heredibus ſuis in Sepulcris poni ſibi poſt Mortem Teſtamento curabant, quod Vetus Lapis penes Gruterum (1) probat, in quo Veneris Auguſtae Sigilli cum parergo mentio fit, item phia-

(1) Pag. 52. 2.

Phialae argenteae, & argenteae Tabulae addito *aureo Annulo cum meliore Gemmâ*, quae in Aemiliae Artemisiae Sepulcro poni jubentur.

At quoniam haec plus justo sumtuosa visa sunt, modum Nonnulli per Leges hujusmodi sumtibus praestiterunt, putantes, ibi fortunarum dispendium fieri non debere, quo omnes incommutabili Naturae Lege pervenire compellimur. Quocirca Solon, qui ob eximiam Virtutem adeo Civium suorum animos in se converterat, ut sibi illum Laertio teste, omnes uno animo cuperent imperare, Atheniensibus prohibuit, ne Sepulcrum facerent operosius, quam quod decem Homines triduo efficerent, neque id, teste Tullio (1), opere tectorio exornari, quod idem est, quod passim in veteribus Inscriptionibus legitur SVB. ASCIA. DEDICA-

(1) Lib. 2. de Leg. cap. 64

CARE(1), nec hermas hos, quos vocant, licebat imponi; quum autem totius Graeciae celeberrima esset Athenarũ Civitas, ea Lex inde per universam Graeciã invaluit. Plato, quem ingenii, ac doctrinae Principem, quem Divinum, quem animi, ac virtutis Magistrum Veteres appellarunt, ut plura silentio praeteream, quae de Sepulcrorum Institutione jussit, decentissima Monumenta Parentibus, temperatissima tamen fieri praecepit. Lycurgus, qui remotissimas Regiones peragraverat, ut optimis cujusque Gentis Legibus suam Rempublicam informaret, omnem circa Mortuos, & Sepulcra (2) Superstitionem sustulit. Pittacus unus e septem Graeciae Sapientibus, apud suos cavit, ne in construendo Tumulo, quam tres Colume-

(1) Guther. de Jur. man. Lib. 2. cap. 28.
(2) Plutarch. in Lycurg. & Lacon. Gyrald. de Var. Sep. rit.

mellas plus expenderent; quum antiquiorum etiam Nonnulli glebâ tantum contenti, & caespite corpora obtegerent. Apud Romanos quoque quantum sumtuum posset Sepulcris impendi Edicto Aedilium, ut scribit Cicero (1), erat expressum, quamvis tamen gliscente luxu eâ in re, tanta Romanorum magnificentia eluxit, ut eam ingenti admiratione in Marmoribus, & Monumentis intueamur. Sepulcrorum, ac totius Funeris Magnificentia apud Hebraeos fuit moderata à Gamaliele Seniore Simeonis Filio Hillelis Nepote, ad cujus pedes Sanctus Paullus Apostolus Hierosolymis in Judaismo creditur enutritus. Demum ostentationem illam à Christianorum nonnullis quandoque adhibitam Sancti Patres (2) detestarunt

(1) Phil. IX. 7. Epist. ad Attic. XII. 35. 36. (2) S. Hieronym. in fin. libr. de Vitâ Paulli Eremitae,

runt. Noverant profecto morem illum abiiciendi Mortuorum Cadavera barbarum esse, ideoque honeste fidelium Defunctorum Corpora recondenda esse (1) edocebant: Nimis autem splendida, & immoderata Sepulcra nunquam construenda esse permittebant. Neque in Sepulcra solū nimis splendida, sed in omnes etiam immoderatos, ac superfluos rerum funerearum sumtus invehebantur; moderatos tantum in iis sumtus, prout status, conditionis, regionis, facultatum, ac temporum ratio exigeret, (2) concedentes. Quod optimum, ac laudatissimum Exemplum, auspicatissimis nostris temporibus secutus omni Imperatoriâ laude ornatissimus Imperator Caesar FRANCISCUS Pius, Felix, Augustus, Magnus Etruriae Dux,

G in

(1) S. Cyrill. Lib. 10. contra Julian. S. Augustin. Lib. 1. de Civit. Dei cap. 13. (2) S. Ambrosius Lib. 1. de Abraham. cap. 9.

in quo Religio, Pietas, Justitia, Clementia, Constantia, ceteraeque Virtutes omnes regnare quodammodo, & triumphare videntur, quum in Etruriâ Quamplurimos nimis sumtuosa, atque immoderata funera fecisse notum haberet, modum tanto fortunarum dispendio imponere voluit; Novit enim maximus hic, atque aeternâ saeculorum memoriâ dignissimus Legislator laudabile non esse, sumtuosis vestibus velle humanam infelicitatem, cujus per nostrorum Mortem admonemur, obtegere, ac luctum in luxum convertere, ideo laudatissimâ Sanctione suâ effecit, ut Funera ita ducat Etruria, ut dolor esse funeribus, non Exequiarum Pompa [a], nec Ostentatio videatur. CAP.

(a) *Superfluos honores Horatius ipse reiicit* (1) *in suo futuro Funere*

Absint inani funere Naeniae,
Luctusque turpes, & querimoniae
Compesce clamorem, ac Sepulcri
Mitte supervacuos honores

(1) Lib. 2. Carm Ode ult.

CAP. VI.

DE RELIGIONE SEPULCRORUM, ET AN CENOTAPHIA RELIGIOSA ESSE DICANTUR.

MOdo Sepulcrorum Religionem videamus, quâ tantum non per universum Terrarum Orbem quamlibet Gentem ductam fuisse Historiae, & Legum volumina testantur. Locum tum demum fieri Religiosum, quum vel liberi hominis, vel Servi (1) Corpus à Loci Domino est illatum, ut ibidem Sepulturae caussâ perpetuo maneat, nemini latet, qui Jus Civile primis, ut pene dixerim, labiis degustaverit. Quum vero Mortuorum Cadavera cremari in more positum erat, priusquam Gleba in Os Mortui esset injecta, locus ille, ubi Corpus erat crematum, religiosus non habebatur, at injectâ glebâ, tunc

(1) L. 2. ff. de Relig.

tunc & humatum Defunctum, & Sepulcrum esse, ac Religione teneri incoepisse à Cicerone (1) accepimus; Atque ob hanc Religionem Sepulcra in commercio, vel dominio non esse Vlpianus (2) tradidit. At non totum fundum, in quo Monumentum esset, religiosum fuisse, sed eatenus demum, quatenus Corpus esset humatum (3) est existimandum. Hinc antiquitus Monumentorum locus definiri, & quantum Terrae spatium Religioni cederet, designari, Monumentisque inscribi solebat; Idipsum his notis signati Lapides loquuntur IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. quae verba hoc significant IN FRONTE [a] PEDES DECEM, IN AGRVM PEDES VIGINTI patere. En inter alias Inscriptio Floren-

(a) In fronte *in latitudine significat ; In Agrum vero in longitudine*.

(1) Lib. 2. de Legib. cap. 22. (2) L. 12. §. 1. ff. de Relig. (3) Brisson. Antiq. Rom. lib. 2. cap. 15.

rentiae in vestibulo Regii Musei Magni Etruriae Ducis posita, quae hoc clarissime demonstrat.

DIS. MANIB.
C. VALERIVS. HERMES. SIBI
LIBERTIS. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM
IN. FR. P. VI. IN. AGR. P. VII.

Hunc vero Ambitum non Romae solum, at in reliquâ Italiâ, atque etiam in Graeciâ saepimentis, veluti Maceriâ, aut aliquâ humili, levique materiâ, quandoque silice, saxo, vel marmore includebant, nec saepimentis tantum muniebant, immo & addebant Custodes, & Curatores, quae Cura singulis quandoquidem annis certis Personis mandabatur, quas Testator elegisset, iique Curatores eam Monumenti Tutelam, vel Curam praecipue gerebant, quae Monumenti impensas sequeretur. Custodes vero, quum in Sepulcris etiam habita-

re coepissent, quod à Neroniano incendio originem duxisse (1) videtur; ideo tanquam indecorum, merito Legibus (2) fuit prohibitum.

Quid de Cenotaphiis, ipsorumque Religione dicemus? Cenotaphia itaque, inania nempe Sepulcra, quae proprie Monumenta nuncupantur, religiosa non esse, quia revera nullum in eis sit Corpus hominis conditum Divi Fratres contra Marcianum Virgilii auctoritatem (3) afferentem rescripserunt (4), & ita, ut Accursius ait (5), Virgilii auctoritas fuit reprobata. At si ad ea Vatis Carmina (6) Jurisconsultus allusit, ut pene omnes tam in Jure nostro, quam in Re Litterariâ Scriptores sunt arbitrati

Li-

(1) Sueton. in ejus Vitâ cap. 38. (2) Vlpian. in L. Praetor ff. de Sepulcr. Violat. (3) L. 6. ff. de Rer. Divis. (4) L. 7. ff. eod. Tit. (5) Gloss. in L. 6. ff. eod. Tit. (6) Aeneid. Lib. 3. vers. 303. & seqq.

Libabat Cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad Tumulum, viridi quem caespite inanem,
Et geminas, caussam Lacrymis, sacraverat Aras,

Ibi profecto Virgilius, non de Simplici Cenotaphio, inani nempe Tumulo loquitur, sed, ut Alciati (1) verbis utar, *de eo, ad quem geminae Arae & quidem sacrae extructae erant, & ad quem, sacrificiis factis, eliciti, vocatique erant Manes Hectorei*. Ceterum duum fuere generum haec ficta Sepulcra, quae, quum à Graecis originem duxissent, Cenotaphia fuerunt appellata; Vel enim alibi Sepultis erigebantur, ideoque à Suetonio in Claudio honorarii Tumuli sunt nuncupati: Hujusmodi sunt Drusi in Campo Martio tumulati Cenotaphium, à Militibus prope Rhenum excitatum; & celeberrimum Cenotaphium Pisanum Caii, & Lucii Caesarum memoriae positum, quod singulari, eoque pererudito Commentario

(1) Parerg. Lib. 10. Cap. 12.

doctissimus Romanae Ecclesiae Cardinalis Henricus Norisius inlustravit; Vel Sepulturae plane expertibus erigebantur : Ita Cenotaphium Argivis, qui Trojano Bello occubuerant, Corinthi constitutum, in Corinthiacis suis memorat Pausanias, & apud Romanos Varianis Legionibus ab Arimino occisis post sex annos Germanicus *gratissimo munere* in Defunctos, ut Tacitus loquitur (1), condidit Cenotaphium. Haec Cenotaphia perinde ac si vera forent Inscriptionibus ornabantur, idque ex Laertio in Periandro, Graecis quoque fuisse usitatum accepimus. In Cenotaphii autem signum Lignum navale constituebant, quod ut Marcellinus in Thucydide ait, ex Atticâ discedirur; Et Longobardi, si forte quis ex Consanguineis peregre obiisset, Perticas (2) sta-

(1) Lib. 1. Annal. (2) Paull. Diac. de Rer. Longob. lib. 5. cap. 34.

ſtatuebant. Illud vero admiratione dignum, morem fuiſſe Pythagoricis, ut ſi qui e ſuâ Philoſophiâ deceſſiſſent, iis tanquam mortuis extruerent (1) Cenotaphia. Verum, ut ad Sepulcrorum Religionem noſtra revertatur Oratio, quod ea Romanis ſacra ſemper fuiſſent habita, illa antiquae Legis verba declarant: *Vbi corpus demortui hominis condis, ſacer eſto:* Et illa: *Ne quis Veſtibulum, aditumque ad Sepulcrum uſucapito, nec buſtum violato:* Et illa: *Deorum Manium Jura Sancta ſunto*: Ipſorumque, quemadmodum, & apud Graecos tanta fuit Religio, ut major (2) Templis non adhiberetur; Et revera non pro Templis tantum, at pro Sepulcris etiam, non juſta ſolum, ſed neceſſaria Bella ducebantur, & qui patrios Deos, atque avita Sepulcra defe-

(1) Orig. lib. 1. in Celſ. (2) Minutol. Diſſert. de Sepulcr.

ſeruiſſent, illis merito nullam eſſe debere ſalutis curam ajebat Themiſtocles (1). Haec ut Templa Virtis ornata Caecilius Comicus tradit, haec, ut Templa conſecrata, dicataque in antiquis Inſcriptionibus legimus, quarum unam nobis Gutherius (2) praebet

HAEC. AEDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQVE. SVNT. MONVMENTI
SIVE. SEPVLCHRVM. EST. ET
OLLARVM. QVAE. IN. HIS. AEDIFICIIS
INSVNT. ET. CONSECRATAE
SVNT
RELIGIONISQVE. EARVM. CAVSA

Haec demum ut Templa Aſyli, & Confugii loco eſſe Plutarchus in Theſeo narrat. Immo, quum Servus quidam apud Sybaritas à ſuo Hero caeſus ad

(1) Plato in Themiſt. (2) De Jur. man. lib. 3. cap. 1.

ad Templum confugiens nihil profecisset confugiens ad Sepulcrum veniã (1) meruit. Judaeis quoque, & Christianis ipsis Maxima fuit Sepulcrorum Religio; Apud hos vero, (quod & apud Ethnicos fuit usitatum) in primitivâ Ecclesiâ Vigiliae, & Preces (2) ad Martyrum Sepulcra noctu solebant haberi; Verum, quum hisce nocturnis Vigiliis infinita patrarentur, flagitia hic mos in Concilio Eliberitano fuit sublatus. Et haec fuit potissimum caussa, cur Gryphium figuras Tumulis insculperent, & vigili asservandos curâ eos esse innuerent, & cur quandoquidem Gentes arboribus Diis sacris Sepulcra exornarent, ut rapaces, & malevolae Manus ab eorum Violatione sanctius prohiberentur.

(a) *Celtas, & Nasamones non sine arte magicâ, ad Sepulcra Oracula consuluisse ostendit Crusius* (3)

(1) Ath. Lib. 12. cap. 3. (2) Greg. Turonens. Mirac. lib. 2. cap. 24 (3) de Noct. & Noct. Off.

CAP. VII.

QVIBVS MODIS SEPVLCRA VIOLENTVR, ET QVIBVS POENIS IPSORVM VIOLATORES AFFICIANTVR.

HOrret profecto animus, quum violatae Sepulcrorum Religionis crimen recogitat. Nimis humana Conditio laeditur, si illa violentur Loca, quae communi omnium pene Gentium Jure, humanitatis, & mortalitatis nostrae causâ fuerunt instituta, & adeo summum ipsis Christianis Imperatoribus, strictumque semper est habitum, ut iisdem visum fuerit nullam Vinculorum requiem illos debere recipere, quorum audacia ad ipsos pergit Defunctos, ipsosque quiescere (1) quâdam sceleris im-

(1) L. Nemo deinceps 3. Cod. de Episc. audien. junct. L. pergit 5. Cod. de Sepulcr. viol.

immanitate (*a*) non finunt. Hinc frequentes in veteribus Epitaphiis Imprecationes, quibus iis dira quaevis minabantur, qui Sepulcrum essent violaturi; Unde illa saepius legitur Imprecatio (1) OLLAM. EJVS. SI. QVI. INVOLARIT. AD. INFEROS. NON. RECIPIATVR. & Florentiae haec habetur Inscriptio à Sponio relata (2)

C. JVLIVS. C. L.
BARNAEVS
OLLA. EJVS. SI. QVI.
sic OVVIOLAVIT. AD
IFEROS. NON. RECIPIA-
sic TVR

Atque hujusmodi Imprecationes in veteribus Christianis Inscriptionibus le-

(a) *Theodosii, & Valentiniani Constitutione Uxor divortium etiam à Marito facere potest, si nimirum Sepulcrorum dissolutorem* (3) *esse probaverit.*

(1) Reines. Class. 14. 33. & Class. 17. 168.

(2) Miscell. Erud. Antiq. Sect. 1. artic. 7.

(3) Dictâ L. pergit. 5. Cod. eod. tit.

leguntur, ut ex sequenti ab Arringhio (1) relata ostenditur

MALE PEREAT. INSEPVLTVS
IACEAT. NON. RESVRGAT
CVM. JVDA. PARTEM. HABEAT
SI. QVIS. SEPVLCHRVM. HVNC
VIOLAVERIT *sic*

Non uno tamen modo Sepulcrorum Religio (*a*) violatur; Alii namque ad Monumentum, alii ad Corpus ipsum pertinere videntur; Nonne enim demolitione [Sepulcris tamen Hostium exceptis, quae religiosa haud esse Paullus Jurisconsultus est arbitratus (2), dolosâ inhabitatione, illegitimâ Cadaveris illatione, venditione demum, vel quâcumque

(a) Notionem de Sepulcris Fori secularis fuisse in Provinciis, Romae vero mixtnue Jurisdictionis eam factam docet (3) Gothofredus.

(1) Rom. Subterr. lib. 4. cap. 7. (2) L. 4. ff. de Sepulcr. viol. (3) ad L. 2. Cod. Theod. de Sepulcr. viol.

que aliâ alienatione Monumenti Religio violatur? Hanc interdum in ipsis Monumentorum Titulis expresse prohibitam esse patet ex quamplurimis Inscriptionibus, quas inter unam in medium (1) afferemus.

D. M.
M. AVRELIVS. ROMANVS. ET
ANTISTIA. CHRESIME. VXOR. EIVS
FECERVNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTAB.
POSTERISQVE. SVIS. ITEM. LIBERTIS LIBERTABVS
QVE. POSTERISQVE. EORVM. MONVMENTVM. CVM
AEDIFICIO. SVPERPOSITO. HOC. AVTEM. MONVMENTVM. CVM. AEDIFICIO. NEQVE MVTABITVR
NEQVE. VENIET. NEQVE. DONABITVR. NEQVE. PIGNORI. OBLIGABITVR SED. NEC
VLLO. MODO. ABALIENABITVR. NE. DE. NOMINE
EXEAT. FAMILIAE. SVAE

Quae

(1) Gruter. pag. 762. 3.

Quae prohibitiones à Testatoribus ponebantur, non quia non esset Venditio ipso jure prohibita, at quia, quum nullâ poenâ Is teneatur, qui nesciens religiosa Loca pro profanis comparavit, ideo, ne justam ignorantiae caussam Emtor posset afferre, plerisque Monumentis Alienationis prohibitio inscribebatur, ut sciens Emtor, quod ignorare non poterat, poenam cum Venditore non posset effugere. Corpus autem Contrectatione (1), Mutilatione [2], ac Spoliatione immanissimo scelere saepius, atque iterum nonne legimus violatum? Immo & Ossium illicitâ Translatione possunt Corpora violari; hinc in Sepulcrorum Titulis passim inscriptum legimus PERPETVAE SECVRITATI; ipsa ideo perpetuae Sepulturae tradita, nisi prius à Pontificibus, vel

à

(1) L. 4. Cod. de Sepucr. Viol. (2) Quinc. Decl.am. 15.

à Principe (1), vel in Provinciis à Praeside venia fuerit impetrata, justave caussa intervenerit, alio transferri absque Sepulcri violatione non possunt; Ad tempus vero alicui loco commendata libere (2) transferuntur; quod & hodie, & antiquitus apud plerasque Gentes in more positum fuit, corpora nempe praestantissimorum hominum in ignobiliori loco condita ad celebriora Monumenta, & ex peregrinâ Terrâ, ubi Fatis concesserant ad avita, patriaque Sepulcra maximâ solemnitate transferri.

Atque hic priusquam poenas Sepulcri Violati Reis irrogari solitas recenseamus, animadvertendum omnino est, hodie non ea quae de Jure Civili sancita sunt, at ea solum, quae jus Canonicū jussit, observari, quum hoc ju-

(1) L. 1. L. 8. & L.33. in princ. ff. de Relig. L.1.Cod.de Relig.(2)L.3.ff.de Sepulcr.viol.

jure Mortuorum Sepulcra, religiosa loca dici nequaquam possint, si Episcopi auctoritas (1) deficiat, atque adeo Sepulcri Violati crimen in Casibus à nobis hactenus expositis patratum, in iis tantum Sepulcris locum habet, quae talia de Jure Canonico nuncupantur.

Quae quum ita sint, poenas Sepulcrorum Violatoribus irrogari solitas recenseamus, quae plurimae sunt, si Jus Civile inspiciamus. Et revera, si quis Sepulcri violati reus sit, Praetor ei, ad quem pertineat *in factum* judicium dabit in id, quod Judici aequum videbitur, ne in minus unquam, quam centum aureos, si Sepulcrum violatum fuerit, vel in minus, quam ducentos, si dolo malo fuerit (2) inha-

(1) Cap. ad haec de relig. Domib., Gonzalez ad cap. abolendae 13. de Sepult. Samuel de Sepult. tract. 1. controv. 16. concl. 1. per tot. (2) L. 1. 3. & 6. ff. de Sepulcr. Viol.

inhabitatum. Atque in eos, qui Sepulcra vendebant, vel quocumque modo alienabant, & in scientes etiam Emtores, non Leges tantum, at ipsimet Testatores interdum poenas constituebant, Iique Romani Populi Aerario, Arcae Pontificum, aut Vestalium has poenas jubebant inferri, & quidem quod poena Romanae Gentis Aerario inferretur, en clarissima Inscriptio (1)

D. M.
CORNELIAE. CASTAE. QVAE
VIX. ANN. X. M. V. FEC.
QVISQVE. EVM. MONVMENTVM
VENDERE. AVT. TERRA. EIVS. VOLET
INF. AERARIO. P. R. HS. T. M. N.
IN. FR. P. X. IN. AGR. P. X.

Sequens Inscriptio Arcae Pontificum poenam inferri jubet (2)

D. M.
C. CALPHVRNIVS. PHILOPHYRIVS. V. C.

(1) Gruter. pag. 678. 2. (2) Gruter. pag. 373. 4.

ET. SEPTIMIA. AMMIAS. CONJVX
COMPARAVERVNT. SIBI. MEMORI-
AS. IL.
ET. C. CALPHVRNIO. AMMIANO. EQ. R.
FILIO. SVO. ET. LIBERTIS. LIBER-
TABVS
QVE. POSTERISQVE. EORVM
ARMARIVM. DISTEGVM. CVM. TA-
BERNAE. THORVLO. SI. QVIS. HOC
ARMARIVM. VENDERE. VOLVERIT
TVNC
INFERET. ARCAE. PONTIFICVM
ES. LM. N.

Inſcriptionem, quâ poenam Veſtalium quoque Arcae inferri ſolitam oſtenditur, ſubiiciamus (1)

D. M.
L. BOIONIVS. GENTILIS. VIVVS
FECIT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBER-
TABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM. HOC
MONVMENTVM. SIVE. LOCVM. SI
QVIS. VENDERE. VEL. DONARE. VOLVERIT
INFERET. VIRGINIBVS. VESTALIBVS. HS. XX.
N.

---

(1) Gruter. pag. 861. 13.

N. AVT. AERARIO. POPVLI. ROMANI. IN FRONTE. PED. VII. IN AGRO. PED. XVIII.

Ex ſequenti demum Inſcriptione (1) iiſdem poenis, & ſcientes Emtores teneri apparet

D. M.
AVR. MAXIMIANVS. AVR. OLYMPIA.
DI
FIL. DVLCISSIMAE. QVAE. VIX. ANN.
XII. DI. X.
SI. QVIS. HOC. SEPVLCHRVM. VEL
MONVMENTVM
CVM. AEDIFICIO. VNIVERSO. POST
OBITVM
MEVM. VENDERE. VEL. DONARE
VOLVERIT
VEL. CORPVS. ALIENVM. INVEHE-
RE. VELIT
DABIT. POENAE. NOMINE. ARK.
PONTIF. I—S. $\bar{C}$. $\bar{N}$.
ET. EI. CVI. DONATVM. VEL. VEN-
DITVM. FVERIT
EADEM. POENA. TENEBITVR.

(1) Gruter pag. 772. 1.

Quod si vi, aut clam dirutum Sepulcrum sit, aut Ossuaria, aut Statua de Sepulcro evulsa fuerit, *quod vi*, aut *clam* Interdicto locum fore Vlpianus (1) tradidit. Et si quis etiam projectum, vel stillicidium in Sepulcrum miserit, quamvis Monumentum ipsum non tangat, recte cum eo agi poterit, quod in Sepulcro *vi*, *aut clam* factum sit, quia Sepulcri sit, non is tantum locus qui humationem recipit, sed omne etiam supra id Coelum, eoque nomine Sepulcri violati (2) agit potest. Judicium quoque publicum est ex L. Juliâ *de vi publica*, si quis fecerit, quo minus aliquis funeretur, aut (3) sepeliatur. In ipsos vero Violatores, atque in Judices, qui id negligunt vindicare, viginti Librarum auri Fisco inferenda-

(1) L. 2. ff. de Sepulcr. viol. (2) L. si vitem L. si quis projectum ff. quod vi, aut clam, (3) L. 8. ff. de Sepulcr. viol.

darum poena Imperatorum Constitutionibus (1) est irrogata. Atque in eos, qui Sepulcrorum Lapides amovent, Terram evertunt, evellunt Caespites, qui ornamenta quaedam e tricliniis, vel porticibus eorundem auferunt, Sacrilegii poenam Julianus (2) statuit. Quod si immanes hujusmodi homines ipsa extraxerint Corpora, vel Ossa eruerint, humiliores summo Supplicio afficiendos, honestiores in Insulam deportandos, aut relegandos, aut in metallum damnandos esse Paullus ipse (3) testatur. Capite insuper plectendos esse, qui armatâ manu Cadavera spoliarunt, mitius vero Judicis arbitrio, usque ad metalli poenam, si absque armis id factum fuerit Divus Severus (4) rescripsit. At quid de Servis dicemus?

(1) L. 3. & 4. Cod. de Sepulcr. viol. (2) L. pergit. 5. Cod. de Sepulcr. viol. (3) L. 1. ff. eod. Tit. (4) L. 3. §. adversus ff. eod. Tit.

Plane in iis levior erit poena, & ideo, si inscio Domino infandum crimē hoc perpetraverint, erunt in Metallum damnandi, relegandi autem, si Domini Voluntas (1) accedat. Noverat sane Constantinus ille maximus, quam grave illorum crimen esset, qui Sepulta Corpora, aut Reliquias impie contrectaverint, ideo eos decem pondo auri Fisco inferre (2) sancivit; Quare & in veteribus Monumentis reficiendis diligens cautio erat adhibenda, ne corpore contingerentur. Sed & in Creditores, qui sui Debitoris Sepulturam impediunt, nonne poenam irrogatam fuisse memoriae proditum est? In quinquaginta Librarum Auri poenam Jure Codicis erunt damnandi, suo corpore sub competenti Judice luituri, si aurum persolvere nequeant, & quidquid eâ causâ gestum fuerit, sive

(1) L. 2. Cod. eod. Tit. (2) L. 4. Cod. eod. Tit.

five pignus datum fit, five conftitutus Fidejuffor, irritum eft (1) pronunciandum. Novellarum autem Jure credito in univerfum cadunt, tertia fuorum Bonorum pars publicatur, notantur infamiâ, & tantundem Defuncti heredibus inferre compelluntur, quâ poenâ & illi funt afficiendi, qui moribundi Debitoris aedes adeunt, ipfumque [2], aliofque vexant; Quod fi ante novem dies ab obitu numerandos quis in quemlibet ex Defuncti Perfonâ moleftiam fecerit, hoc invalidum effe Juftinianus (3) fancivit. Haec de poenis Sepulcri Violatoribus Jure Civili inflictis; Jure autem Canonico nulla poena Sepulcri violati Reis, quam omnium geftorum irritationis [4] eft irrogata.

Hactenus modos aliquos vidimus, quibus Sepulcri Religio poteft violari

(1) L. ult. Cod. eod. Tit. (2) Auth. item Cod. eod. Tit. (3) Auth. fed neque Cod. de Sep. viol. (4) Cap. Fraternitatem de Sepult.

ri: Hactenus quoque aliquas poenas, quae Sepulcrorum Violatoribus irrogari solent, ad examen revocavimus. Ceteros modos, quibus Sepulcra violantur, ceterasque poenas in ipsorum Violatores jure Civili inflictas, ne multi simus, silentio praetermittere operae pretium esse arbitramur. Et haec sunt, quae de Sepulcris erant dicenda. Verum antequam Libello nostro Vela contrahamus, quaedam de Sepulcrorum Juribus exponemus.

C A P. VIII.

QVAEDAM DE SEPVLCRORVM JVRIBVS EXPONVNTVR.

JAm vero, ut omnia haec ex voto fluant, Sepulcrorum genera dividamus; vel enim Quis sibi dumtaxat, & Conjugi suae (*a*) Monumentum

(a) *Quam magno affectu Conjuges sese dilexerint, summoque honore coluerint, satis, superque liquet ex Sepulcralibus Elogiis, quibus Viri, & Vxores mutuo se celebrant,*

tum vivus extruit, aut Teſtamento jubet, quod *Singulare*, aut *Privum* dicitur; vel ſibi, Familiaeque ſuae, ac Poſteris Sepulcrum condit, & *Commune* nuncupatur. Communia vero Sepulcra altera familiaria, hereditaria altera ſunt. Illa, Cajo teſte, (1) Quis ſibi, Familiaeque ſuae conſtituit; Haec ſibi, heredibuſque ſuis quis parat, vel jure hereditario acquirit. Quae quidem in veteribus Inſcriptionibus ſolebant diſtingui, ut familiaria has litteras H. M. H. N. S. ideſt HOC MONVMENTVM. HEREDES. NON. SEQVITVR. Hereditaria H. M. H. S. ideſt HOC MONVMENTVM. HEREDES. SEQVITVR prae ſe ferrent. Communia etiam illa dicebantur Sepulcra in quibus multi ex Plebe promiſcue condebantur; Non enim unicuique ex Po-

& honorant, in quibus frequentius ſignificatur, eos vixiſſe ſine lite, ſine controverſiâ, ſine offenſione, ſine bile, ſine querelâ &c.

(1) In L. 5. ff. de Relig.

Populo Sepulcrum suum erat. Publica insuper Monumenta apud Romanos fuisse, in quibus ii condebantur, qui honoris rogo de publico sepeliebantur à Meursio (1) accepimus. Polyandria quoque apud Romanos Graecosque erant, Sepulcra nempe illa Peregrinis, vel in Bello caesis destinata, ut vetus Lapis à Meursio relatus (2) ostendit

FORTISS. MIL. V. ET. XIX. LEG.
QVORVM. OPERA. FORTITER
VETERA. CASTRA. DEFENSA. SVNT
POLIANDRION

Quae Sepulcra Peregrinis, & Plebi communia Polyandria dicta, praeter ditiorum (3) Regumque Tumulos apud Hebraeos fuisse patet ex Hyeremìa (4), & Peregrinorum Sepultu-

(1) Exercit. Crit. part. 2. lib. 3. cap. 20. (2) De Funer cap. 40. (3) Moreftel. de Pompâ ferali lib. 5. cap. 5. (4) Cap. 2 verf. 19. &c.

turam, pro quâ emtus fuit à Sacerdotum Principibus Ager Figuli ex triginta argenteis Judae traditis Sanctus Matthaeus (1) commemorat. Peregrina demum apud Romanos fuisse memoriae proditum est, ea scilicet, in quibus vel honoris, vel amicitiae, vel necessitatis caussâ alii non ejusdem familiae sepeliebantur.

Familiaria igitur Sepulcra ad Familiam, quamvis in eâ nullus fuerit heres, atque ad extraneos quoque Heredes pertinere Diocletianus, & Maximianus (2) rescripserunt, non vero ad Affines, vel proximos Cognatos heredes non institutos spectare Philippus Imperator (3) voluit. Plane Sepulcrorum Jura, quae sibi quis familiaeque suae constituit, ad Liberos quoque pertinere debent, ut Vlpianus ait (4), cujuscumque sexus, vel

(1) cap. 27. (2) L. 13. Cod. de Relig. (3) L. 8. Cod. eod. Tit. (4) L. 6. ff. eod. Tit.

vel gradus exiſtant. Quare ſi feminae in alias tranſeant familias, ſive proximiores, ſive remotiores ſint, Sepulcrorum Jura retinent, quae ex Familiâ ſuâ acceperunt. Retinent quoque & Exheredati, quum familiam non mutet (1) Exheredatio. Idque Emancipatis etiam conceſſum fuiſſe, idem tradit Vlpianus, quod ſecus fortaſſe videretur, quum ſecundum antiquae Legis formulam de Familiâ Patris exirent. In Eis profecto & Liberti humanitatis ratione tumulabantur, ita tamen, ut Sepulcrorum Jura in Patronorum Monumentis non haberent, niſi Eis eſſent heredes, quamvis Patroni Sepulcrum ſe ſibi, Libertiſque ſuis feciſſe in Monumentis (2) inſcripſiſſent. A Sepulcris vero Teſtator aliquando ex juſtâ cauſsâ Liberos, aut Libertos, prohi-

(1) Guther. de Jur. Man. lib. 3. cap. 10.
(2) L. 6. Cod. de Relig.

hibuit. Et revera de Filiis, praeter ceteros, Augustum Caesarem Julias filiam neptemve probris contaminatas suo inferri Sepulcro vetuisse narrat Suetonius (1), & de Libertis ex multis, Inscriptionibus patet, ex quibus hanc subiiciemus (2)

M. AEMILIVS. ARTEMA
FECIT
MARCO. LICINIO. SVCCESSO. FRATRI
BENEMERENTI
ET. CAECILIAE. MODESTAE. CONJV-
GI
SVAE. ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EO-
RVM
EXCEPTO. HERMETE. LIB. QVEM
VETO. PROPTER. DELICTA. SVA
ADITVM. AMBITVM. NE. VLLVM
ACCESSVM. HABEAT. IN. HOC
N. MONVMENTO.

Ali-

(1) In ejus vitâ in fin. (2) Gruter. pag. 184 4.

Aliquando non omnes Liberti Sepulcrorum Jura habuerunt, sed ii solum, qui Testamento essent honorati, ii nempe, quibus Testamento Jura Sepulcrorum concedebantur, quamvis Heredes scripti non essent, quod sequenti Inscriptione (1) probatur

DIS. MANIBVS
POMPONIVS. ATIMETVS. FECIT
SIBI. ET. SVIS. ET
HELVIAE. HEREDI. CONJVGI
BENEMERENTI. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
MEQVM. QVOS. TESTAMENTO
HONORAVI
ET. POSTERISQVE. EORVM

Nonnunquam etiam Libertorum nomina fuisse adscripta haec docet Inscriptio

M POMPEJVS. APPOLLONIVS
PONTIAE. HILARAE. VXORI
M. POMPEJO. FELICI. LIB. Q. MA-
SVRIO. FELICI
M. POMPEJO. AVCTO. LIB. PACTV-
ME-

[1] Gruter. pag. 817. 12.

MEJAE. CAMPANAE
INFERRI. HOC. NON. LICET. NISI
QVORVM. NOMINA. SCRIPTA. SVNT
ET. QVIBVS. CAVERO
M. POMPEJO. ITHACO. POMPEJAE
VRBANAE. ITHACI. LIBERT. &c.

In hereditaria autem Monumenta, heredibus quibuſcumque vel minimâ ex parte inſtitutis, Bonorum inſuper Poſleſſoribus, atque iis etiam, quibus Libertatis conſervandae cauſsâ Bona fuerint addicta, atque omnibus omnino, qui heredum loco habeantur, & ſepeliri, ac mortuum quemquam inferre (1) licet; Atque hoc jus, quod ſingulare quidem eſt remanet quoque apud heredem, qui hereditatem (2) reſtituit, licet ille extraneus ſit, & coactus hereditatem adierit. Quin immo, & iis licere, quibus tanquam indignis hereditas fuit ablata Vlpianus (3) monet. Nam adeun-

(1) L. Familiaria ff. de Relig. L. 4 §. 15. autem ff. de Fideic. libertat. (2) L. quia perinde §. reſtituta ff. ad Trebell. (3) L. 3. ff. de Relig.

adeundo heres effectus, hereditate ablatâ, heres esse non (1) desinit. Non tamen ab omnibus indignis Sepulcrorum Jura retineri est putandum; Nam si heres hereditate privetur, quod Testatori aperte maledixerit, atque adversus eum infaustas voces jactaverit, hunc Sepulcrorum Jura non sequi (2) nemo dubitabit. Haec vero Sepulcrorum Jura nonnunquam, ut ex sequenti Inscriptione (3) patet, ad Heredes pertinebant pro portione, quâ ii Testamento essent scripti

FLAVI. ELEVTERI. SECVN-
DIANI. ASIVS. SOTERICVS
DE. SVA. IMPENDIA
ET. PARMENIONI. LVDO
AMICO. VETERI
HVJVS. SEPVLCHRI. JVS
AD. HEREDES. PERTINET

PRO-

(1) L. ex facto in fin. ff. de vulg. & pupill.
(2) L. inimicitiae ff. de his, quae ut indignis
(3) Gruter. pag. 871. 8.

PROVT. TESTAMENTO
QVISQVE. EORVM. SCRIPTVS
EST

Hic autem praetermittendum minime arbitramur, quod quamvis Monumentum ipſum legari nequeat, mortuum tamen inferendi jus quiſque valet (1) legare; Venditionis quoque Titulo, alioque hujuſmodi in alium transferre, manente loci Religione, dum illud veluti fundi acceſſionem cum fundo transfert, in quo fuit extructum, adeoque non ſpecialiter locus Religioſus venit (2), ſed Emtioni majoris partis accedit. Quemadmodum e contrario Venditor, Fundum in quo Sepulcrum ſit, vendens, Sepulcri Jus additâ Venditioni Lege, *nihil Sacri, aut Religioſi venire* (3), ſibi nominatim poteſt ſervare, quod ſupervacaneum eſt, ſi publicum ad Sepul-

(1) L. 14. Cod. de Relig. (2) L. 24. de Contrah. Em. (3) L. 22. ff. eod. Tit.

crum ſit iter . Hoc vero Jus apud Romanas Gentes in conſuetudine erat, ut Dominis Fundorum, in quibus Sepulcra fecerint, etiam poſt venditos Fundos, adeundorum Sepulcrorum [1] fuerit Jus; Praediorum ſiquidem vendendorum Legibus caveri, ut ad Sepulcra, quae in Fundis ſunt, iter eis, aditus, ambitus funeris faciendi cauſsâ ſit Pomponius (2) memoriae prodidit.

Ceterum in Familiaria, & Hereditaria Monumenta, alteri mortuum non licet inferre, quod & apud Veteres ſartum tectum ſemper eſt habitum, quos libenter [3] ſuorum tantum cineres admiſceri ſuis voluiſſe Gentium pene omnium Hiſtoriae teſtantur. Ideo Solon Atticorum Legiſlator, eos poenâ coërcuit, qui delebant Se-

(1) Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Rom. lib. 1. cap. 8. (2) L. 5. ff. de Sepulcr. viol. (3) Boxhornius Quaeſt. Rom. queſt. 9.

Sepulcra, aut in gentilitia alienum inferebant, quam Legem inter ceteras ad Romanos Decēviri (1), transtulerunt.

Demum animadvertendum existimamus, quod qui, electo Sepulcro, decesserint, quum ultimae voluntatis pars (2) Electio sit; Ideo ipsorum libertas minime tollenda est, ut Constantinus (3) respondit. Et revera Veteres maxime operam dabant, ut dum in vivis essent sibi de Sepulcro prospicerent (4), quo Mortui conderentur, ut ex hac Inscriptione (5) optime demonstratur

FECI. QVOD. VOLVI
MONVMENTVM. VBI. OSSA
ET. CINERES. AETERNVM. REQVIESCERENT. MIHI

At si Sepulcra non eligant, neque Maiorum habeant Monumenta, ibi,

(1) Cicer. lib. 2. de Legib. (2) Joann. Andr. in Cap. Animarum de Sepult. num. 3. (3) L. 1. Cod. de Sacros. Eccles. (4) Niepoort. rituum Romanorum sect. 6. cap. 6. §. 1. (5) Gruter. pag. 1127. 1.

si Christiani fuerint, sunt tumulandi, ubi Ecclesiastica Sacramenta receperunt, quod tamen in Religiosis hominibus locum non habet, qui ubi condendi sint, hoc ex pluribus Pontificii Juris locis [1] apparet. Qui vero Monumenta non eligant, at Majorum habeant, si Uxorem excipiamus, quae in Viri Sepulcro est condenda, & si pluribus juncta fuerit, cum postremo, cujus Domicilium, honoremque retinuit, est [2] tumulanda, Omnes in hujusmodi Monumentis debent contumulari. Filii igitur in Parentum Monumentis [*a*] erunt sepeliendi; Quod si Patrem Perduellionis damnatum habeant, in ejus Sepulcro non erunt [3] conden-

[*a*] *Quod si Filius sit vulgo quaesitus, quum Patrem incertum habeat, in Matris Sepulcro, nisi Ea inlustris sit* [4], *Sepelitur.*

(1) Cap. 2. de Sepult. &c [2] Marchett. de Sepult. tit. 38. §. 9. n. 177. & seqq. [3] L. 1. § suos ff. de suis, & legit. [4] L. si qua illustris Cod. ad Senatus consultum Orphyc.

dendi; Non enim possunt Sepulcrorum Jura sibi constituere ii, qui Jura divina, humanaque profane polluerunt; De Adoptivo autem Filio distinctio erit adhibenda; Nam, vivo adoptante Patre, si Fatis concesserit, in ejus Sepulcro, sed eo mortuo, in Patris Naturalis Monumento [1] est tumulandus. Hoc siquidem Veteres maxime expetiverunt, ut in avitis Sepulcris conderentur, praeter solos lacedaemonios, qui unumquemque, ubi Terrarum mortuus esset, Sepeliendum relinquebant, Rege tantum excepto, cujus Cadaver melle circumlitum, Spartam referebant. Reliquae Gentes Vrnis conditos Cineres in Patriam remittebant. Majorum enim suorum Monumentis condi, atque inter suos post Fata cubare jucundissimum est visum humanitati. Hinc Jacob duode-

[1] L. 1. vers. quam enim ff. ad Municip.

decim Tribuum Pater cum Patribus dormire, & in Majorum suorum Monumento condi volebat, quam ipsam Voluntatem optimi Parentis optimus Filius Joseph est executus. Hinc Hector Achillem rogavit, ut se exanimem Parentibus redderet, patriâ Sepulturâ afficiendum. Et Alexander, ut cetera exempla praetereamus, Darii Mortem prosequutus, demptâ, sibi Clamyde, illius corpus contexit, atque regio ornatum cultu, ad Matrem patrio more sepeliendum, Majorumque Tumulo inferendũ misit.

Complura quidem, quae ad Sepulcra, & Sepulcrorũ Jura pertinere posse videntur, consulto praetereo, quum longius quam par erat, meum ductum fuisse Opusculum, prorsus intelligam.

FINIS.

[illegible]